



6
23 K
15




IANI ANYSII SATYRAE.


AD POMPEIVM COLVMNAM CARDINALEM.



Ex eodem Cæſaris priuilegio
Authoris iniuſſu quiſquam ne imprimito
ne ue uendito.











IANI ANYSII SATYRA DE PRINCIPE AD CABANILIOS.

Ingere si cupiens uasta quis mole Gigantem
A capite incipiat, frõtis spatia ampla patescãt,
Magna supercilia, atq; oculi, ceu rupe sub alta
Speluncæ, horrescant late, longeq; recedant,
Promineat nasus, barba horrida pendeat ore.
Cætera Pygmæum referat, collum breue, pectus
Exiguum, exilesq; manus, & crura pedesq;,
Quid monstri hoc sit, qui lusus risusq; popello?
Quid Paganinus si singula membra seorsum
Ducat commensu obseruato, nonne colossum,
Dædali ut agnoscas præclari artemq; manusq;,
Erigat ad Gallos, quem nostro coxerit igni
Ex nostra argilla? Quia sic Traiane petisti,
Regius est Satyræ titulus, grande atq; superbum
Nomen. si partes coeant male, quid patre digni
Vos ergo iuuenes, risumne tenebitis? idem
Sit Princeps tanto sublimis nomine, si intus
Seruiat. exuctim si noster Horatius artem
Haurit de græco fluuio, regeritq;, poetæ,
Atq; ut apes uario decerpit flore liquorem
Mellis, tantundem liceat mihi. non ego membra
Ordine disposui. sat, amussim si bene rexi
Contentus minio, nam fucum haud seria poscunt.

Esto huius classis, populi qui sumpsit habenas,
Quas terris tradens dat habere deus pater & rex.
Sunt humanorum si regna uicaria regum,
Sit propiorq; deo, & sit sordibus hisce necesse est
Semotus longe rex, heros, semideusq;.
Nescitis miseri mortales, regna cum auetis
Quantum onus optatis, quantos ceruicibus enses
Appensos uestris hilaresq; alacresq; subitis.
Purpura, diuitiæ, fulgentia tecta, columnæ,
Mensæ auro ornatæ, centum pueri speciosi,
Organa tercentum, cantores mille ducenti,
Vis celerum, longæ stipatorumq; cateruæ
Non faciunt regem. monstrum depinximus ante,
Atq; hoc, atq; alijs informius esse tyrannum
Monstrum, paulisper quæso expectate, docebo.
O prisci mores sancti, quum non nisi reges
Spectatæ uirtutis, consensu omnium, amore,
Lætitia immensa, & populorum pollice utroq;
Designabantur. procul ambitus, atq; erat omne
Insignem, uitium quod denigraret honorem.
Tales Aegyptus uidit solia alta tenentes.
Nobilitas studijs sophiæ incumbebat auitæ,
Inde sacerdotes, diuinos dijs dare honores,
Hinc reges culti, purgati pectora sancta.
Pulchrarum rerum illa hominumq; feracior ætas
Fulsit, præsentes diuos licuitq; uidere.
Nonne salutantur reges hodie, omnium egeni

Virtutum, quæ extendunt famã, animũq; serenant.
Hinc bella, hincq; fames & egestas improba rerum,
Vrbium & exitia, & miseri interitus populorum.
Sunt Thebæ exemplo, & Priami miserabile regnũ.
Lex illa est sancta, in cœlum quæ laudibus effert
Defunctos uita Augustos. differtq;, petitq;
Morsibus indignos uita imperioq; Nerones.
Quos Messene adeo sit dedignata coronis.
Mirum ni hæredes norma informantur ab illa.
Quòd reges tulerit natura ab origine rerum
Alma parens, doceo argumentis. nonne uidere est
Ceruorum agmina, siue leonum, siue elephantum,
Siue uelis maiorum animantum, siue minorum,
Addo pennatas uolucres, piscesq; natantes,
Noscere ductorem egregium? tum ignobile uulgus
Arbitrio nutuq; ducis facere omnia porro,
Seu procedendum, seu standum, seu fugiendum.
Vt pulchre exemplum dat apum respublica, reges
Rite Ioui mactant, quum plures sceptra capessunt,
Non secus ac dominos immiti pectore, contra
Concordes uni exponunt cum sanguine uitam.
Felix illa adeo domus, imperium quoq; felix
Quum penes unum sunt sceptri fastigia. nonne
Præsidet una animo ratio? cor & artubus unum?
Rexq; paterq; idem deus imperat omnibus unus?
Si Lacedæmonijs nos moribus instituissent
Patres, non pulchra hæc scriptis præcepta daremus,

Quippe illis doctrina simul crescebat & æuum,
Vita erat ex modulo, atq; sigillo semper eodem,
Vnus amor patriæ, res cunctis publica cordi.
Is mos Principibus nostris utinam sit, & hæres
In regnum patrium & mores succedat auitos,
Perq; manus, leuis ut rapiebat lampada cursor.
Si hoc tantum regni discrimen, tu pater omni
Peruigila studio, ut regno sit dignior hæres.
Esse sub imperio, uirtutem teq; magistro
Discat, laudatosq; uirûm uerosq; labores,
Cyrus ut Astyage & doctore & auo fuit usus,
Sub patre Cambyse, & patriæ sub legibus altus.
Qui qualis rex, & quantus euasit in armis,
Non est uana fides tot claris testibus, ut sol
In Xenophôte nitet. Regum pueri hæc monumẽta,
Nocturna uersate manu, uersate diurna,
Excitet è somno uos Cyrus & inclyta fama.
Aemula Miltiadis uirtus Persæ obsistit acri.
Nonne pater demens? qui natos negligit his dum
Attente quærit rem non satis Hercule dextro,
Quam mox lenones, meretrices, ganeæ olentes,
Mensipetæ assentatores, gula & alea perdant.
Mitia uel fera sunt animantia cuncta suopte
Ingenio, minimumq; addit studium arsq; magistri.
Hoc mediũ quod homo est, quibus informaueris ipsis
Vestibulis uitæ, hos mores seruabit ad usq;
Vltima consuetos fatalis limina cursus.

Rex, populo cupiens & caris profore natis
Officio præceptoris fungatur, oportet.
Hoc sibi censores, uiguit quum Roma, uolebant.
Vnde illi heroes magni sapientia & armis
Scipiadæ, Fabij & fortissima corda Catones.
Hic opus ingenio præstanti, & pectore culto
Artibus ingenuis, multa audiat & legat idem
Plurima, thesauro quæ animi commendet, ad usum.
Pluraq; solers experiatur nare sagaci
Vestigans, ne qua obstupeat noua & admiretur.
Mores ille hominum multorum uidit & urbes.
Hinc dicendarum uis rerum & copia felix.
Hinc uirtus magnis quæ fertur ad astra poetis.
Ille mihi est Princeps cui rerum cognita causa est,
Maxime earum, quæ uitam decorantq; iuuantq;,
Conciliantq; deo, atq; ferunt sublimem in olympum.
Quærat Anaxagoras quid sol sit. lampas an ignis.
Scilicet huic similes sunt Mimi tempore nostro,
Regali in trabea, pleno spectante theatro,
Qui bona abutendo corrumpunt & maleuertunt.
Præter perpaucos quorum nitet aurea uirtus,
Vt sol exiguas stellas clarissimus inter.
Pro scelus horrendum, ille gregarius & numerus sit
Qui pulchre scribit, qui docta uolumina uersat.
Signant Chaldaicisq; notis, indisq; libellos,
Et quæ ne legat ipse quidem qui scripserit. At tu
Non ita Traiane, ut sperem te æquare poetas

Carmine præclaros Consaluia dum canis arma
Resq; tuas gestas quæ postera perlegat ætas,
Te solio Cyri *ut digner iussere camœnæ.*
Non ita Liuiades *noster, magni hic ducis artem*
Scit libris, promptaq; manu conuertit in hostes,
Et tantum uirtute alios, quantum anteit honore.
Non ita flos gentis fregosæ Octauius, *alto*
Hic patriam, è pelago in portum deducit amœnum,
Tranquillum, tutum, Neptuni *regia quæ sit.*
Nam culta ex Academia, *abundantiq;* Lycio
Res ita si poscat, iustißima ad arma uocantur,
Dulcibus aut uerbis norunt sedare dolorem
Conceptum temere atq; ardentes pectoris iras,
Mortem arctis uinclis uincire, resistere fatis,
Atq; ipsum exorare Orcum, *atq; iterũ astra uidere.*
Sisyphus Aeolides *musis dilectus &* Orpheus
Mulserunt manes, hic lingua, cantibus ille.
O utinam Italiæ *populis, quos heu furiæ orci*
Seditio atq; simultas uastant, dent dij habere
Tales rectores, concordiaq; aurea surgat,
Illaq; maiestas latij sanctusq; senatus.
Aspirant in idem, imperium & sapientia signum,
Dulcis amicitia hinc illa est Iouis *atq;* Promethei.
Ludentem egregie fidibus natum occupat Ocnus,
O ualeant inquit Cicerones Virgilijq;.
Heus bone qui studijs præ uanis despicis illa
Optima, tantopere quæ extollit sancta uetustas

Proxima sunt tẽplis fora, cernũt di æqua & iniqua,
Detestor Phalarim dirum, taurumq; Perilli.
A recto abducunt homines ira atq; uoluptas,
Hostis uterq; animo infestus. Prudentia, contra
Quæq; animum fortem facit, & quæ tẽperat, instant
Virtutes, uitia impugnant fulgentibus armis,
Deijciuntq; gradu. si atram prudentia nubem
Ex oculis animi exturbarit, continuo almum
Consilium exiliet, totum quod despicit orbem
Terrarum, mentemq; alto permittit olympo.
Ille mihi est princeps qui sese intus uidet, & qui
Quantum res patitur, maiestas fertq; decori,
Consilio tempus dabit, & spatium dabit iræ.
Omnia sedatis animis agere, est sapientis,
Sitq; deo hic curæ qui plus polletq; potestq;.
Non secus atq; alijs sibi rex dominabitur, illa
Subdola pellatur pellex, malesuada uoluptas.
Militiæ atq; domi uirtutum cura sub alto
Pectore peruigilet. sunt otia, nonne etiam sic
Est animo belle? pulchrum ac memorabile dictum
Scipiadæ obserua, solus Traiane nec unquam
Sis, tecum aut loquere aut cum libris, semper amici
Non adsunt & sæpe negotia publica cessant.
Quidnam Musica, quidnã Athletica uult sibi magni
Illa senis? nisi non animum marcescere pulchrum,
Et corpus sinere. efficies studijsq; probatis
Officijsq; uiro dignis, uirtute secunda,

Ingenti duce fortuna, Ioue & auspice summo.
Hic rerum suauis concentus pectore in imo est,
Quiq; hominem uinctum teneat dulcedine mira.
Exercet corpus uenatio, honestaq; regi est,
Quippe quae inertes desidias, mala & otia tundat,
Chironem heroasq; refert genus acre uirorum
Horrida qui syluis bella indixere ferisq;
Dictynna duce, quam peperit dia ex Ioue Carme.
Vtilis est, studio armorum quia proxima, cursu
Praecipiti excelsos montes, uallesq; profundas
Pone feram, & latum decies transmittimus aequor,
Nec retinent fossae, lamae, fluuijq; rapaces.
Omni aeuo haec apta. imbellem puer inclytus ille
Pertaesus praedam ceruos damasq; fugaces
Oderat, ingentemq; dari aprum ursumue ferocem,
Aut fuluum optabat descendere monte leonem,
Aut si alium Phoebe Nemeam misisset olympo.
Nec fuerit uile, aut iaculum torquere, sudemq;
Ferream, & insanum discum, uastumq; molarem,
Aequales inter uirtute & robore claros,
Consulere hic latus & fortes librare lacertos.
Aut arcu aut funda, aut balista ferrea ibera,
Aut amentata liquidum petere aethera corno.
Aut acie obtusa uitare inferreq; plagas,
Atq; palaestra certare, & contendere cursu.
Aut peditem aut in equo phaleris auroq; nitenti,
Vt post quum sit opus uibretur Noricus ensis,

Thessalus & sonipes acrem immittatur in hostem.
Theseaq; Alcidenq; Erycemq; sequere imitando,
Quos docuit Pallas magnos sapientia & armis,
Ausoniosq; duces Picumq; patremq; Quirinum
Saturni auspicijs celebres, Ianiq; bifrontis.
Non mos permittit choreas suadere, pilamq;
Romulidis concessa uiris, grauis Appius inter
Quum Salios uisus motus uibrare procacis.
Heroas taceo, & Græcos fortißima corda,
Antiquosq; patres, decuit quos illa uetustas
Simplicitasq; choros reddens choreasq; deorum.
Deniq; ne parce insignis superare labores
Inq; omnem stimulus laudis te impellat arenam
Traiane. Et quia pernicies mortalium iniquo
Nata Orco, in bella inuasit, tormenta liquare
Aenea, tornare affabre, & quia sic tibi cordi est,
An deterrebo? eia agite eripite arma tonanti
(Nil ultra reliqui sit) fulgura, fulmina Reges.
At deus inuenit dirum Salmonea ad Orcum.
Affectos senio aut morbo exercere potest, seu
Molliter asturco incedens, seu flumine prono
Lynter, & ex genere hoc permulta, sed omnia supra
Lectio erit clara, ad corpus facit hæc animumq;,
Delectat, pascit, uegetat, docet. hæcq; medetur
Iræ, tristitiæ, & sæuis animi hisce tyrannis.
Causa animi ludus conceditur & rigor ore
Omnis ut abscedat, frontem linquatq; serenam,

Nam gelida feriunt populi formidine pectus
Torua supercilia, atq; in maiestate timenda,
Mox odium, exanguem sequitur letale timorem.
Par uitium faceret despectum tessera regem
Spe lucri, & forsan mendacem & uaniloquentem.
Illum detestor qui diuos crimine figit.
Ille immanior immani atq; Gyge atq; Typhoeo.
Hi sunt audaces, quia freti corpore uasto,
Impius ille audet lingua confligere diuis
Fulmineo æratos dum cœlos perforat ore,
Tantum lingua audax, infirmus cætera homullus.
Caucasus obiectus rigido uulturq; Prometheo;
Sisyphus & saxum uoluit super ardua montis.
Illi nulla Arime, nulla est satis Aetna Typhoeo.
Cumprimis regi uocalis Musica honesta est,
Siue lyram celebresq; fidis, siue organa mauis
Quæ centum calamis resonantibus æthera mulcent,
Sed modo ne eneruet corpus, mentemq; supinet,
Neu leuis impediat grauiora negotia Siren.
Linquimus in foribus curam, & ruat arduus æther,
Vos miseri interea infortunatiq; clientes
De rabie barbam tractatis, roditis ungues.
Clementi, miti, & mansueto pectore sit Rex
Ac ueluti est apibus sine tristi cuspide & armis.
At tamen irasci sciat, & punire nocentes,
Castiget dictis, odium & conuicium abesto.
Obseruet canos, atq; eximia arte peritos,

Aetatiq; suum, meritisq; impendat honorem.
Ne seruos neu inopes despectu oblimet atroci,
Atqui tunc duplices palmas intendet olympo,
Fecerit ingenio, quod se regnoq; potentem.
Curabit ratio, ne res quid publica damni
Nostra ferat. nulla & pars corrumpatur honesti,
Pectore sub nostro latitat respublica, qua non
Maior Romana, aut olim Spartana refulsit.
Seruanda in cunctis maiestas atq; decorum,
Ne quid humi serpat, ne turgeat, omniaq; intra
Sint modulū harmonia hinc cōcors & gratia pulchra
Nascatur, quam uel laudet naso Heluius unco.
Nil est tam castum, quod non hoc iudice peccet.
Singula dirigere ad signum finemq; probatum,
Nobilis una docet sapientia, qua duce fastus
Incessusq; decet regem soliumq; superbum.
Cuncta bona huic uirga diuina suppeditantur,
Ab Ioue sunt reges, Iouis est sapientia proles.
Intra ædes Alfonsus arago comis amicis
Parq; erat, at regem facile loca publica norant.
Talem te præstas conuiuam Balnei amœni
Propter aques, aut inter aquas tabulata per alta
Traiane, æstate in rapida quum Sirius ardet.
Confirmatq; paritq; hæc Comessatio amicos,
Minoa & priscos reges abduxit ab altis
Hæc solijs sæpe, expositos uulgoq; & amicis.
Quæ laudes mox, quis sermo de Principe ferrit

Sit modus in uino inprimis, ne indigna ferantur,
Romulus exemplo magnis sit regibus. baud hic
Laudarim Græcos, macetæ prolemq; Philippi.
Quod Bromij impulsu est factũ: magno uelit emptũ
Non factum, quũ animus resipit seq; explicat œstro.
Rex laudi studeat, sunt reges gloria alendi
At solida, at uera, at speciosa flore perenni.
Vera est gloria, radices quæ ad tartara mittit,
Stelligerumq; æquat rutilanti uertice Olympum.
Splendor sceptrigeros & munificentia reges
Omne & magnanimum decet, aut conuiuia quæris,
Aut largos sumptus, belliq; domiq; superbum
Quicquid erit. portus, arces, immania templa,
Atq; superba opera, in nostra quæ cernimus urbe,
Fecerunt ataui, nunc dira incuria perdit,
Atq; amor improbus auri, auri exitiale uenenum
Optatumq; malum. uili stirpe indicat ortum
Turpis auaritia. est regnum cos certa animorum.
Quod magis horrendum sit monstrũ principe auaro?
Reges sunt mercatores hodie. bene Thebis
Vile habitũ hoc studiũ, ĩterdictũ & honoribus urbis.
Non modus est agri, nec opum, sacra imperat auri
Maiestas, seruit uirtus aut frigore torpet.
Vt grauido autunno fulgentia in arbore gaudent
Mala legi dignis manibus, sic gratia habenda
Regibus a magnis nancisci, munera cui dent.
Mens facit & regem si regis munia obibit,

Nempe ſacer cœlo & terræ imperat intellectus,
Omnia ſunt ſapientis. ſi ſuus eſſe uolet rex
Sit ſapiens, ita ſe & regnum noſcetq; regetq;
Interno uictor debellato hoſte triumphans.
Se caret & regno uacuus uirtute tyrannus,
Pulchræ mentis inops, expers pulchræ rationis.
(Seditio eſt eadem, ac regnis in pectore noſtro,
Quum ratio diris urgentibus hoſtibus altam
Deſerit arcem animi, dubio ter uicta duello,)
Prædæ intenta cohors dicto ducis haud ſatis audit,
Sed ſe onerans opibus uictricia proijcit arma.
Atqui eadem dux præclaro cum milite ſentit,
Seq; auro immergit præda inuitatus opima.
Ecquæ gloria? ſi tantum uictoria prædam
Affectat. merget ſemper Calydonius haud ſus
Se lamæ atq; uolutabro atq; luto graueolenti.
Iſte ſuam metuatq; umbram, muſcaſq; uolantis.
Sol raro fertur canos uidiſſe tyranni,
Peſſum ſeſe ipſum dat, ubi excidit ira deorum,
Sardoniche effugiat nulla inſuperabile fatum,
Et referat piſcis, modo quam proiecit in altum.
Nutantem puppim, latera exuperantibus undis
Latrantis Scyllæ, noctis caligine cæca
Nauita quam regat indoctus clauiq; magiſter,
Non certo dicas ſalſum potum ire liquorem?
Iſtos Cypſelidas bone Iupiter obrue ad Orcum,
Vulturios uiuorum hominum, Leſtrigonas atros,

Cyclopas deteſtandos, Titanas iniquos,
Exitio rerum nata immaniſsima monſtra.
Si quis compoſuit binos litem inter amicos
Conſequitur laus, atq; oculo hunc deus aſpicit æquo
Quid regi fiet, communia qui bona curat?
Quales ſunt reges, talis populus ſolet eſſe,
Plus nocet exemplo quam re ſublimior ordo.
Non prorſus mihi diſpliceat rex iunior annis
Si mores ſunt laudati & ſene Socrate digni,
Scipio erit ſatis immaturo conſul in æuo.
Diſpliceat ſenior dignus bullaq; trochoq;.
Quid ſi homo nouus, obſcuris natalibus ortus?
Sint modo uirtutes claræ, clariſsima facta.
Nonne coles auro ſimulacrum, ſiue Orichalco
Factũ? quod nuper fuerit Laſanũ, aut Trua putens?
Quid, capite imperium cenſus ſi geſſerit armis
Atq; animo inſignis, multis clarusq; trophæis?
Quid refert rectus ne ſit, an talo altior altero
Auguſtus patriæ, portentoſiſsimus hoſti.
Ne puer indigna inficiatur labe cauendum,
Retia tenduntur tot tanta impubibus annis
Eſtq; ætas facilis flecti. tectoria ut alba
Inductum primo exugunt retinentq; colorem,
Ad uiuum reſeces Mentagram, non tamen omne
Diſcutitur uitium. ſi ſol mane orbe ſereno
Surgat, næ nitidam ſperabis cernere lucem
Ad ſerum uſq; occaſum, hæc ſunt certiſsima ſigna

Atq; obseruanda est adeo desuescere multum.
Sæpe uiros magnos uitia, illa ætate recepta
Declinauerunt fœde de tramite recto.
Prætereo prudens. A natura omnia porro
Sunt uitia ætatum. iuuenes aura leuiores.
Sunt parci queruliq; senes, & suspiciosi.
Iudicio tamen auriga, dux atq; magistra
Sublimis Sophia, hæc freno compescet, & extra
Obicibus positis, clathrisq; exire uetabit.
Socratem an emergens iugulus tam fecit inertem
Ac bardi ingenij? ueneris luxusq; fluentem?
Haud unquam hunc franget, frangit quæ cuncta senectus.
Sed quid ego a signo discedo longius errans?
In pauca hæc præstat conferre oracula diui.
Belua ne tetra insipientia, te, antecaueto
Opprimat, ad lapidem quadratum insiste premendo
Oedipodes, sphingas deturbans rupibus altis,
Sic, neq; te lædent fallacis pocula Circes.
Plena impostorum, fraudis sunt omnia plena.
Si quando te animi nimius seduxerit hostis,
Ilicet affectum labentem perfer in Album
Quanquam obluctantem Rationis perfer in Album,
Et te Reginæ ultricis permitte flagello,
Teq; tui ipsius pudeat porro pigeatq;.
Pro pudor Omphale pendenti pensa puellis
Perditus Alcides summittat fortia colla?
Si ingens uis pluuiæ cœlo descenderit udo,

Aequora quam perflat bucris nigrantibus Auster,
Tu medio in campo degas sub tegmine nullo
Vitabisne imbrem sapiens, flatusq; malignos?
Sic uitia hærebunt si te summiseris illis,
Instar hydræ capite ex uno septena oriantur.
Hæc, ante aduersum galeam clypeumq; parato.
His quando expositi sumus urticam erue ab horto.
Damnarunt puerum doctæ sapienter Athenæ
Coturnici oculos fodicantem, atri utpote cordis.
Si Phœbum docuit sapiens pulcherrima rerum
Glaucus, nil regi prius atq; antiquius esto
Quam prauos mores grassatos tempore longo
Inclementer, ex ore truci ad uiuum resecare,
Inq; uicem inserere ex omni quæ parte placere
Possint prædulci succo, suauissimo odore,
Hæc illa Ambrosia est, illud nectarq; deorum.
Ad rem diuinam i lotus, cum uestibus albis,
Non deus, Arrabiæ prouentibus, aut Hecatombis,
Pectore sed puro placatur, farreq; paruo.
Quod minimum placet est aras fœdare cruore,
Et poteras Abdera hominem mactare? ferocem
Barbariem, aut potius mores imitata ferarum.
Sit deus auspicium, quæcunq; negotia primum
Aggrederis, ductuq; dei lux cœpta recondat
Se nocti, tenebræ sed nullæ pectus opacent,
Nec cor triste premat uirus, mel lingua loquatur,
Nam diræ, tristesq; preces ascendere olympum

Non norunt, aut in caput exitia alta reportant.
Clamq; palamq; adeo uerbo atq; opera bonus esto,
Lingua magis q̃ ferri acies incidit acute,
Id quod pœna docet miserandi Tantali in Orco.
Tu linguam institue ut semper generosa loquatur,
Quæq; uidebuntur perpulchra ea perfice factis,
At crudelia, ne illa quidem tu unq̃ meditator.
Insidiæ in nuptam alterius, damnata libido,
Omnibus ab rebus uis, & fraus omnis abesto,
Mœchari turpe est, sequiturq; iniuria natos.
Sis æquus domi, ab orco nanq; domestica lis est.
Abstine ab inuidia, at pulchri tamen æmulus esto,
Triste malum inuidia est cæco sub uiscere natum.
Improba rodit os, exugit penitusq; medullam,
At nec Athos ingens premeret præcordia tantum
Dijs aduersus Athos. laudato ingentia regna
Exiguum regito. Macetum rex fudit ineptos
Questus, quod plures uincendi orbes superarent.
Fingit equum molli ut freno duroq; magister
Sic populum indomitum princeps fingatq; regatq;,
(Quādo hominē īperio summitti dura adeo est res)
Temporeq; utatur sapienti, tempore cano.
Quid quum fortuna arridet, feliciter omnis
Et res procedit successu cœpta secundo?
Tunc docto rectore opus est frenisq; & habenis,
Aliger in campos equitem ne effundat apertos
In cœlum sublatus equus cursumq; negatum.

Iupiter audaces nimium diro afficit œstro.
Quum terga ostendit nihil ex sententia abiuit,
Ne te plus nimio crucia, emendare negatur,
Auxilium est serum, fortunæ cede potenti,
Atq; deum precibus summisse in uota uocato,
Haud ex præscripto hoc da, hoc auerte, precando,
Nam missum facio populum turbamq; deorum
Quos expers ueri tantum est uenerata uetustas
Palladaq; Alcidenq; Iouemq; almam Veneremq;,
Iunonem & Genios thalami mensæq; potentes,
Quos patribus licuit præsentes sæpe uidere
Sanguineisq; armis partes defendere iniquas.
Sæpe etiam præstant incommoda tristia blandas
Istas lætitias & commoda dulcia uitæ,
Qua spreta, illa adeo patet aurea regia cœli.
Contra, Sirenas malesuadas post manet imo
Sub barathro sæuis instans cruciatibus Orcus.
Res hominũ ars certe ingeniũ & fortuna gubernãt,
Præpollet sed enim triplex mirabileq; unum,
Omnia cui parent, nutu qui sydera torquet,
Nequicq̃ illa uoces, huius tibi numine læuo.
Res ampla est oneri stulto, robur furioso.
Plerunq; exitio, uotis quæ sæpe petuntur.
Hæc Thebis cladem, & Troiæ, pestemq; tulere,
Vtile non unquam uenerando certet honesto,
Non pede diuerso uirtutibus itur in ipsum
Pulchrum, quod homines dijs immortalibus æquat,

Cõstat enī ex rhythmo harmonia, ex utroq; chorea
Qua salit æternis diuum concentibus æuum.
Tu sta animo, grauia expugnãs mõstra oĩbus armis,
Monstra horrenda, hostes animi & uirtutis amaros,
Nusquam defueris, quo te cunq; aduocet usus.
Virtutis comes est labor, incolit ardua, uirtus,
Dij superi quos fert fructus tristissima radix.
Si nobiscum oriturq; labor, frugi ille & habetur
Qui sudore suo uiuit, tua maxima cura
Sit Rex, nil pigrum atq; ignauum ferre patiq;,
Hos coge, impelle illos, castiga, excita inertes,
Ne longum patere errones impune morari
Vrbe tua, disquire artem, & quæ causa moræ sit,
Tolle ueneniferum generosa ex arbore uiscum.
Cumprimis habet hæc Venetum, cum laude secũda
Regum consessum priscorum, cura senatum
Vt quondam pagum sapientis in urbe Solonis.
At sanctum hospitium, hospitij inuiolabilis est lex,
Est iouis hospitium, & regum ioue progenitorum.
Admisso mensæ est ignotum Bellerophonti.
Tecto excepta Ceres Phytalo dedit inclyta dona.
Vis peregrinorum recipit se forsit in urbem
Solers tu insidias meditator & ante caueto,
Sint adeo exemplo tot pressæ his artibus urbes
Siue Syracusæ, Sybaris siue urbs opulenta.
Insidijsq; dolisq; est orco tradita Glauce
Præclaraq; Creon Ephyræ qui sceptra tenebat.

Insidias inquam meditator & antecaueto,
Sed modo ne toruos oculos ægria Pallas
Auertat, non semper erit tibi noxia Lemnos.
Non semper Græcos pepulerunt urbe Catones.
Braßica nec semper medicos tulit utilis usus,
Nanq; ubi mollities illum expugnare rigorem
Cæpit, & unguentum succeßit puluerulento
Sudori, trabea atq; odit sublimis aratrum,
Et Cincinnatos subderisere Nerones,
Continuo, horrendum uisu, uelut Oceani quum
Obicibus ruptis miseros mersere Britannos
Immensi fluctus, tellus subsedit & undis,
Morborum facies sic inuasere senatum
Et prius ignotæ, acciti medici peregrini
Sunt igitur, plauditq; nouis sibi moribus orbis,
Illaq; rusticitas Scythiæ disceßit in agros
Atq; ad Hyperboreos & sedes Orithyiæ.
Summotis uitijs scabie fædißima & omni
Artifices claros optandos regiam in urbem
Vndiq; Rex curet parcens nulliq; labori
Et nulli impensæ, redeat cum fœnore quæ mox,
Nam cæptis Charites respondent sæpe uocatæ.
Hinc hirco inuentum potuisse adamanta domari,
Hinc humiles terræ cœlumq; & sydera norunt.
Plurima do ingenijs hominum miracula rerum,
Quæ dij, Musarum è gremio decerpere gaudent
Et natis dare dilectis pulchei rima dona.

Cui credas quantumq; uide, si lumina possunt
Fallere persæpe, atq; gradu depellere sensum.
Sunt uana, occentusq; auium præpesq; uolatus,
Et dubiæ sortes, hæc & anilia, sed tu
Sobrius es, minimeq; leuem te insomnia turbent,
Et Marium ride, atq; cubilia dura leonum.
Turbidus illa animus, Syllæq; potentia maior
Vrgebat. dolor haud facile præcordia mittit.
Ne sæui in tumulos, cineres ostende sepultos
Ne soli. impius haud manes impune lacesset.
Cur non æquo animo tolerandum damna, dolores,
Exilia, ærumnas, uxoris crimina, mortes
Natorum idq; genus fortunæ tela sinistræ,
Si sunt hi uitæ fructus? ergo aut tolerandum
Aut mortem consciscendum, permittere cuiquam
Id quod non ausim. tu tanto obnixius omni
Contende ingenio peruadere ad illa beata
Arua, ubi lætitia æterna, & pax, gaudiaq; alta,
Id quod perficies Christi ob uestigia seruans,
Quicquid enim sanctū pulchrūq; & amabile cunctæ
Præscribunt normæ exactum in se continet una
Lex Christi, in cœlum certo quæ tramite ducit,
Regnat ubi æterno imperio, æterno deus æuo.
Et dubitant aliqui hæc sibi fœdera non fore firma.
Felicem interea nulla infortunia lædent,
Si spes hæc animum certa offirmauerit æquum,
Quid soli officiant nebulæ insanæq; procellæ?

Celso animo est rex, uel ruat omnis machina mundi
Cardinibus diuulsa suis, se ipsa inclyta uirtus
Armata, haud metuit quicquam, at nec læditur unq̃,
Par sibi, semper & æqualis, uultu usq; & eodem.
Consilio ex alto perage ocyus, anchora tardet
Delphinum, nullus ferus dolor inde lacesset.
Nil temere facias, neu te nescire fateri
Quod nescis pudeat. meliori cede. sed illum
Omni contende ingenio superare. perito
Miltiadi armorum, Dario dira minante,
Cessit Aristides primas. Marathonia pugna
Hinc clara in Persas, celebret quam fama perennis.
Malle expilari, q̃ uenire, ille ferebat
Cui præ diuitijs libertas candida fulsit.
Nestoras omni opera ac studio quæsiueris, altum
Munit consilium sublime, silentium. ab hoste
Non prius auditum è castris abijsse Neronem
Quam redijsse, habuit falsum hæc astutia fratrem,
Tum patriæ excidium præsensit maximus Afer.
Ne Veneri nimium, ne uentri indulseris, illa
Scripta, incisa animo, duo, sustine & abstine, habeto.
Vitæ est pernicies, malum & incurabile, uenter,
Infra deterior uentrem latet abdita pestis,
Ac uirus multo stygijs letalius undis.
Id Capuæ debes, quod stant tua mœnia Roma.
Impiger es, neq; ad ignem cor corrumpe sedendo,
Quod thesauri instar nobis dedit optima mater

Natura, haud pretium potuit persoluere maius,
Non si cuncta quidem imperio det habere creata.
Quum bene curaris animum, ne neglige corpus,
Dignum rege locum incole, sint laquearibus aureis,
Maiorum statuis, picturis, sintq; columnis
Tecta ornata altis, foribus bipatentibus extra
Ac nullis clathris. sint circum pulchra uireta,
Irrigui fontes, Nili salientibus undis,
Euripiq; lacus, piscinæ, ac septa ferarum.
Temperiem imprimis opta, cœlumq; salubre
Vnius è uita, populorum uita salusq;
Quandoquidem pendet, uigilat rex omnibus unus.
Sit lauta, atq; adeo nitida ac pretiosa supellex,
Stragula byßina, purpurea, aurea, multa superba
Aulæa, at nil non auro resplendeat intus.
Non modo lautitia conditur regia mensa,
Sed præclarorum docto sermone uirorum,
Et qui te poßint sublimi carmine ferre
In cœlum, laudesq; tuas nomenq; decusq;.
Sordes è mensa, at magis absint sordida uerba,
Irreuocabilibus si pennis uerba feruntur.
Deniq; uiua domus sit suaui prædita more,
Si pote sit, cupiam sapientes ordine in omni,
Triste adeo ac miserum est prauos cõtingere seruos,
Et prauos lateri qui hærent contingere amicos.
Corui pellantur uiuorum corda uorantes,
Corui infelices. pellatur garrula hirundo,

Idq; genus tristis pestes & toxica uitæ.
Optentur pueri ingenui, ingenuo ore ministri,
Nanq; animi est index corpus. pulcherrimi amator
Præcipue esto rex, uitium procul omne facessat.
Non inscite adeo, defuncto sufficiebant
Aethiopes regem, specie qui excelleret omnes.
Fœda ministeria abijce, sis memor utilem ad usum
Ceu dispensator census expendere regni,
Est tibi si sceptri demandata ab Ioue cura,
Cumq; putanda illo ratio, quem fallere non est.
Perpulchrũ merito, ĩmerito dare turpe & ĩiquũ est.
Dant nostri, indignum nebulonibus & parasitis.
Istosce ob sumptus rem prodegere, nihil non
Sumunt fœnore, & urbem corrupere misellam,
Vel uilis cerdo didicit fœnuscula ab istis.
Horrea securos reddunt populumq; patresq;
Plena tibi, exemplum præbet formica quotannis.
Non nihil est curæ impendendum, condere ad usum
Belli, aurum. atqui sunt regni munimen, amici,
Et si æque ac patrem populi uenerentur, amentq;
Missum de cœlo diuum prope munere regem.
Hi, sunt thesauri, præcisæ montibus arces,
Præclarum, prædiues, inexpugnabile regnum.
Nudus sæpe suis Masinissa urgente Syphace
Excipitur, uictus toties tum deniq; uicit.
Si fors delectus iuuenum contingat haberi
Finitimum in populum, aut durũ educturus in hostẽ.

Sit rex, aut gentem in longinquã, nulla mora obstet
Iurabunt in uerba ducis fortissima corda
Atq; uiam carpent alacres per & æqua & iniqua
Parentes dicto, ad nutum ducis omnia agentes,
Sit licet aduersus Titanum exercitus ingens,
Immensos scopulos iaculantum, extrema minantum.
Militiæ hinc decora, in cœlum quæ fama ferebat.
Nam facere, atq; pati, uirtutis fortia summæ est.
Militet hic exercitus, hic dux Pallade dextra,
Non sit opus Ephesiisq; notis, Gygisq; potenti
Orbe, aut Plutonis galea, usq; inuictus obibit
Prælia, securus uirtutis munere Cæneus,
Hæc est sacra cohors, nullis penetrabilis armis,
Composita, ut chorus, incedens pugnaq; recedens.
Non quot sunt hostes, sed ubi essent sparta rogabat.
Hæc clandestino non impete copia uincet,
Robusto nec equo Graius quem erexit Epeus
Troianis funus miseris & fata ferentem,
Sed certa uincet uirtute & fortibus armis.
Clara luce, palam, instructo agmine, ĩ æquore apto,
Palladi si comes est uictoria fulta trophæis.
Pulchro ex consilioq; & iudicio exit opus quod
Post, homines merito admirentur, ad astra ferantq;.
Expertos belli ductores delige & auro
Exple, tum meritos orna impertiq; coronis
Ac spolijs, incende omnes ad præmia laudum,
Fortiter & belli decora ad præclara obeunda.

Hostem auro corrumpe licet? syncerus amicus
Nam sit? corruptum qui pectus subijcit auro.
Atqui iniustitia & fraus & dolus omnis abesto.
Quæ se auro redimit felix uictoria certe est.
Pacifero sacra Plutoni sunt sæpe ferenda.
Brutorum atq; adeo horrendum confligere, contra
Humanum ac pulchrum cũ hoste est cõponere pacẽ.
Scuto non ense experiamur prælia prima.
Bellum nutrire est hamo piscarier aureo.
Seruare incolumes pulchra est uictoria ciues,
Atq; decus sublime & inenarrabile lucrum.
Illa Numantinos quæ uexit ad æthera uirtus
Si incidat, illaq; frons inuicta, ad utrunq; parata,
Palladis auxilium, non Martis tela uocabit
Scipiades, ignem ingentem non ense mouebit,
Nempe manus longe præstat mens, fortiaq; arma.
Harpagon inuenit sapientem Xanthia pubes
Discipulum Cyri, tandem se maxima moles
Præcipitauit agens, magnam dedit acta ruinam,
Incolumi aduersa steterat quæ fronte phalange.
Consilium facile absoluit persæpe negatur
Quod manibus telo armatis & Mulcibris armis.
Atq; fugæ atq; metus sit dux cum laude peritus,
Anchisæ Aenean hac laude insignit Homerus.
Quid cunctatori debet non maxima Roma?
Non mihi sit fortis Capaneus ad mœnia Thebes,
Sed nimiusq; furensq; animi, spretorq; deorum,

Pectus non adeo sedatum obringitur ira.
Vt stulti est hominis temere se offerre periclis,
Aut illaudatæ sese ultro exponere morti,
Sic timidi imbellisq; est omnia formidare.
Nescio quis uerbis possim defendere uatem
Musa Syracosium, nitidis Arethusa sub undis
Occuluit caput ut laqueum & fatalia uidit
Illas mellifluas præcludere uincula fauces.
Heu heu cur uates emit sibi fata libenter?
Parcere non potuit uox illa suprema furoris?
Summum habeat sceptrũ, meritamq; ciconia sedem,
Si mentum attingant hostes, herbamq; dedere.
Non uictoria erit, nisi sit clementia finis.
Proximus ille feræ est, cui melle est dulcior ira,
Sæuitia, effrenisq; furor rabiesq; cruenta.
Tydea quæ fœda excussit nota, nectare diuum.
Nil antiquius atq; fide præstantius esto,
Inq; ipsos hostes, hinc regum fœdera firma,
Pacta, induciæ, amicitiæ, suntq; omnia sancta.
Quid leuius, ritu puerorum, quæ modo auebas,
Renuere? sed taceo sunt magno pondere uerba.
Aurea quum regnat soboles, tunc Iupiter æquus
Perpulchre nobiscum agit. at sæpe ænea & amens,
At ferro sata regnat & arma horrentia tractat.
Lex iubet, eripite o reges gladium furioso.
Præcipiti, atq; animo inconsulto uentus & imber
Officiunt, cannæ testantur consulem ineptum
Atq; locum castris capere, atq; capessere pugnam.

Tu semper circunspectus, semperq; paratus
Tanquam de specula hostem, & consilia anteuideto.
Nos carptim, attamen explorata ac cognita nostro
Sint Cyro hæc, res & pelago terraq; geratur.
Tot chartæ monumenta ducum præclara sacrarunt,
Hæc fidus refero interpres non illita fuco,
Admeto cecinit pastor quæ oracula Phœbus,
Atq; illum docuit sapienti pectore Glaucus,
Quem Delo undisfiua puer obseruauit Apollo.
Non stomachum repetita, hesterna ut brasica uellet,
Sed multo attritu ut ferrum, tractata nitescent.
Docta, latens quærendo aperit sapientia pulchrum,
Et ramale sacrum folijs crepitantibus auri,
Auri admirandi ac fatalis, cui chorus omnis
Assurgit diuum cœloq; ereboq; potentum.
Quæ capiti neglecta iugum dominosq; feroces
Aetatiq; ferant plagasq; & uulnera cæca,
Et quibus auxilio sero medicina paretur.
Si rex audiet haud dubium, felix aget æuum,
Virtutum auspicijs fortiq; phalange, tyrannis
Multatis male, quadrigis sublimis, bonore
Illustri anteibit solem mundi omniaq; astra.
Virtutum inter se solida & connexa catena est
Ex Adamante, quibus Traiane ornabis honestum
Pectus & ingentem studijs imitabere Cyrum.
Laudis amor fascem excipiet, pondusq; laboris
Molliet, at reddet iucundum dia uoluptas
Quæ post, te gremio accipiet cœloq; reponet.

IANI ANYSII SATYRARVM LIBER PRIMVS.

AD POMPEIVM COLVMNAM.

Semper ego, inficias an eo? quũ tã rudis haud sim
Astrorum, ex libris, cœliq; ex orbibus ipsis,
Vana Genethliacũ oracla ac mendacia duxi.
Affectus animi, morbi, pax, bella, triumphi,
Luctus inde fluant, omnisq; minutia rerum?
Ac si nulla animum ratio sistatq; citetq;.
Prætereo prudens immensi sydera mundi
Quæ uarios tradunt, genios præscribere rebus.
At nonnulla monent ut suspicer hanc ab olympo
Vim terras petere ac mortales. nam Ciceronis
Tota nitet studijs uirtutum circiter annos
Quinquaginta ætas. quicunq; bonus legitur nunc
Illa ætate fuit. simul ac defluxit, inepte
Aut minus ornate nostri scripsere, quousq;
Restituit linguam Pontani *musa. quid illos*
Ductores ut equo Troiano *hac classe diserta*
Commemorem? quorum uirtus per se nitet, aurum
Ceu plumbũ obtusum inter, & æs ærugine obesum.
Tempora Mercurij Aegyptum *fecere potentem*
Artibus egregijs, claramq; nitentibus armis.
In græcis itidem fulserunt secla, poetas,
Seu quæris summos oratoresq; uirosq;

Insignes uirtute domi atq; foris, sine pucbris
His quando studijs Mauors furit ense cruentus.
Artibus inq; alys eadem interualla fuere,
Tu repete annales primaq; ab origine gentes.
Nunc nostri egregie edificant, pictura loquentes
Docta refert uultus, & marmora scalpta animatis
Sensibus esse putes. ne lauda Memnona, & illum
Alcimedonta magis. uel manes astraq; cœli
Sunt gæometris & nostro cognita Marco
Arte & dimensu, nec opus fuit ire sub Orcum
Hæc perscrutatum. felices certe ea una
Re sumus, hæc adeo florentia secula nacti.
Compenso hæc bona cum uitys, quæ corda trucidant
Quæq; ego tā proscindo, ac me sum uindice lætus.
O superi defendite sēcla hæc, nam ruit hostis,
Barbarus Italiam totiesq; redegit ad assem.
At contra, in tot tu seclis quot cernis Homeros?
Quot Cyros? quot Scipiadas, fortesq; Camillos?
Nonne putas ortos alios oriente Gradiuo
Cum uectore Helles, uelut est Libys Annibal ortus?
Nam missos facio sectatores Epicuri
Arte eadem, eadem mēte Polystratū & Hippoclidē,
Quandoquidem falsum me sæpe aures habuere.
Aiunt astrologi in causa esse uolumina cœli,
Quum uary motus, diuersaq; sydera oberrent,
Longos ire annos astra ut uertantur eodem.
Tam longo in tractu, quum sint non ordine certo

Diſpoſita inter ſe & correſpondentia ſecla,
Quis deus hæc hominem docuit cui credere poßis?
Aut cui conſilia hæc ſapiens natura retexit?
Sunt motus certi cælorum, incerti animorum.
Pectora ſeruentur, cæli ut fulgentia templa,
Ceſpitet & nunquam barbati planta Thaletis.
Quod uideo imperitare elementis, credere noſtrũ eſt
Atq; admirari, diuum uero illa uidere,
Quod caput eſt ſupra noſtrũ, paulum attinet ad nos.
At quia Neptuni imperio & Iunonis iniquæ
Proximus undiuomis creber fuit imbribus annus,
Plus hyemis quam ſolis erat cum menſibus æſtus,
Nonne uicem hic reparat ſitienti in puluere merſus?
Vt regnum uolitare putes Naſamonis, ita omnis
Squalet humus, nimboſq; atros uomit arida, arenæ.
Dira ſitis meſſes interficit arboreoſq;
Fœtus, & pinguis lætißima munera Bacchi.
Ni forte auerſo nos Iupiter æthere adurit,
Nec dum Iunonem reuocauit Dædala uirgo.
Certior illa mihi eſt ratio, mores populorum
Moribus ex regum pendere. ego rege camœnis
Natus amico, nil uulgo non pſallere uidi,
Nil non harmonia atq; ars muſica erat, reſonabant
Omnia concentus. ſtuduitq; eadem pater ante
Alfonſus, columen uirtutum, ſub quibus omnis
Bis triginta annos acceßio in artibus hæc eſt
Facta, ſinum inſpuite incolitis qui teſqua Heliconis.

At si ita res habet, ut retro ratis acta recurret,
Per proram insani tollunt se ad sydera fluctus,
Surrepunt uitia atq; adeo mores labefactant.
An conniuendum? an de libertate querendum?
Heu. Proceres hodie, seu illustri sanguine, præter
Perpaucos, seu qui è scalmo ascendere tribunal,
Iis operam studijs insumunt, mitis Vlysse
Quæ in dio Eryclea probat, quæ i Socrate amicus,
Non assis faciunt. quin & sanctissima damnant
Nomina uirtutum ueluti impia & execranda.
I, sis in Sophia magnus, placidisq; camœnis
In ius & rapere, ut legis corruptor & hostis.
Nec bona ad hæredes ueniunt, ferus ignis habebit
Corpus, rem fiscus prætextu relligionis.
Ob culpam patris, rem hæres amittito auitam.
O bellam legem, ter io Pæana canendum,
Nil est, quod desiderio teneare Charondæ,
Quum tales homines statuit Fors sidere puppi.
Proscribant, uexent sectores sacra, profana,
In nos missa celox ornet speciosa triumphum.
Accipe nunc Helenas cumulantes monstra maritis.
Prætereo luxus, quorum quia fossa profunda est,
Mens animi confusa, exordia nulla capessit,
Vtpote formidans, tantus se pandit hiatus.
Vulgo illæ, & sine delectu rerumq; locorumq;
Obuolitant oculis, neq; mi tam musca molesta est
Plurima, quum somni obrepunt æstate tepenti.

Templa peto rem' diuinam si audire animatus
Nil non extemplo compellit uertere terga.
In templis quid agant illæ, si forte rogabis.
Nempe deos orant, canibus ne Sirius obsit
Ne tristi exurat morsu uineta Capella,
Ne Neca acuta fabas, neu Campe lancinet hortum,
Ne locusta aruum populetur, neu gracilis mus,
Gallinis parcat pituita, anginaq; porcis.
Fraude petunt animos & pectora saucia amantum,
Vni dum Veneri impendunt studia omnibus aris.
Instaurare audent tot Phrynæ mœnia Thebes,
Et titulis fronte inscriptis & nomine gaudent.
Clamato, exempla afferto clarissima patrum,
Tundis aquam, tum stultum est immedicabile uulnus
Tigride tractare in sæua. si nulla sequatur
Gratia, quid nisi mercari sit fata libenter
Tristia, pallentiq; ultro concurrere morti?
Principibus nostris haud multum abludit imago.
Ter miserum cui sæua toro est coniuncta gigantis
Hippomane & diro stimulata cupidine mentem.
Quanto aliter tu Romulidum certissima proles
Pompei, exemplar uirtutum. Quid tibi si non
Accius assurgit? curas tua, cætera linquis
Fortunæ & dijs æternis curanda, procellis
Donec tranquillum referat se puppis in altum.
Mentior in cœlum nisi te uehit inclyta uirtus.
Illa tyrannorum o redeant spectacla, Corinthus.

De arietibus tam pexo, compto uellere & aureo
Quæ referam meliora? mihi uos dicite Musæ.
Usq; adeo stomacho atq; odio istorum efferor ira, ut
In caput effundam, nec me ulla exempla morentur
Nostram in perniciem uideo quæ indigna parari.
I mihi suppetias hominum pater atq; deum rex,
Vosq; adeo diuæ quarum uestigia seruo,
Cumprimis Erato, cuius frustrantur honores,
Tantum discrimen supremi auertite fati.
Incidi in busto iubeo si id forte sequatur,
Est miser extinctus taxat dum crimina uates.
Autores tituli digitus monstrabit, & ipsa
Posteritas leget horrendum ac miserabile carmen.
Non facinus tantum obliuiscetur memor æuum.
Hæc uindicta malos ulcisci extrema parata est.


AD AEGIDIVM.

Venisti tandem concordia candida nobis
Expectata diu, ueteremq; amplector amicam,
Parthenope canit exultans, atq; imperat omne
Flore solum spargi, sacrisq; incumbere ciues.
Aegidi, ab erumnis secli infelicis, olympus
Quas uersis cupis nostram diffudit in urbem
Quis tam felicem sperasset cernere lucem?
Non ego, si Phœbi Daphne & magni Iouis ilex
Promisset. uerum memini quæ sæpe frequentem

Ad populum in templis uerba ardentißima haberes,
Ore ubi pendebat siren ab suauiloquente,
Iam docet euentus, ea certa oracla fuisse.
Audi in quæ erumpunt ciues fortißima uerba,
Nec mediastinus dissentit ab ordine summo.
Hactenus est armis de regno, rebus & agris,
Atq; odijs certatum, nunc de sanguine, & ipsa
Est anima miseris nobis immane periclum,
Pileus & gladius forti sua præmia sunto.
Spes est, aspicite in sacris auctum esse trientem.
Quis referet uetitum seruis ad sydera nomen,
Quum pulchre suppressa in honorē lingua leænæ est?
Talia Apicius ore ferocior. Alphesibœus
Exponit scitus de rana & mure puellis
Fabellam, ut miluo fuerint præda, & Iouis iram
Vt tulerint alias ranæ dominante dracone.
Hic bonus Heluidius, quid refert, causa ne honesta
An plane turpis fuerit? modo cornibus aureis
Taurus odoratas niueus mactetur ad aras.
Quid tandem? ut Thebas nostrā urbem uitat hirūdo.
Suprema audendum pro re pro sanguine & aris.
Qui per uirtutem perijt, haud interit. Ocnus
Dixit, & in gremium mussanti despuit ore.
Damna seri ex damnis tandem fecere disertos
Prudentesq;, uolat dextris interrita pennis
Palladis ales, fertq; sacros Phœbo, ore bacillos.
Harmoniam credas. eadem, plebs nobilitasq;.

Flexumines Celeresq; & Trossuli,& omnis eq̃strit
Ordo,tum aurifices,Phrygiones,calceolarij,
Caupones,nautæ,laniones & meretrices
Depositis odijs,linguaq; & pectore censent.
Prælia nam canibus uisus lupus aspra diremit.
Sunt fortes uoces.sed ego quum nostra retexo,
Quam male formido,ut nimia indulgentia mores
Iampridem affectos penitus corrumpat,& unis
Vltima nequitiæ scindatur linea nobis,
Nullus Aristarchus quod sit potis emendare.
Quamuis immineant tot tanta pericula,quis non
Aut Cerdo aut Caupo extrema de fece popelli
Maurum ut emat,uendit carissima quæq;,suumq;
Defraudat genium?iuuat & dediscere nostrum
Sermonem patrium,molimur gutture raucas
Dum uoces Arabum.quis corde adamantino amicam
Fartoris Mitij uidet,& non ilia utrinq;
Finditur,atq; uomit penitus de pectore fibras?
Ducit secum illa Afrarum Aethiopumq; cateruas,
Inceditq;,olim magni ut matrona tonantis,
Quid facient reginæ?audet quum talia plebis
Sentina. exemplum non postera nesciet ætes.
Scilicet hos mores poscebant tempora nostra,
Nequitia irriguis ut gramen pullulat hortis,
Quod celato opus est,excordes prodite ciues.
Quum pax fulgebat,memini,tenui lare quisq;
Contentus,parce uiuebat.nostra Nerones

Nunc habet urbs multos, quorum palatia surgunt
Miris structuris, ac si Cyclopes & ipse
Iam Palamaonides ostentet Dædalus artem.
Ianua plus haurit, quam quondam culmen ad ipsum
Omne domus tignum a serra eductum atq; securi.
Vrbem dijs caram, quum plurima adorea culmen
Lustrabat, uilis Romam tum scandula texit.
Malebant dominari illi dominantibus auro.
At creuit luxus rerumq; orbisq; potitis,
At mox excidium rerum Imperijq; secutum est.
Sæpe mare aplustra impellunt potare carinas.
Nunc conuiuia, qualia sanctis sunt data Rhetris
Eurotæ populo, & priscis celebrata Sabinis,
Cum samio pauone, acipenser certat. item mox
Pompa foris perlauta, domi res atra, uideri
Plus quia quam esse iuuat. cibus est ex aure, susurrus
Plaudentis turbæ. per singula currit ocellus,
Hæc probat, hæc miris in cœlum laudibus effert.
Et pasci populos alibi miramur odore,
Et miramur equas fæcundas flamine cauri.
Hinc dura imperia, atq; tributa. an tunc nihil esse
Decausabitur ingenuo frons cassa pudore?
Quæ taceo grauiora, horret meminisse meum cor,
Sunt nihil ad tot, quæ Momo dicenda relinquo.
Sed bene dij uertant. salue pax a Ioue missa.
O longum uireat concorditer utraq; Myrtus.



SATY.

AD PETRVM SVMMONTIVM.

Mirum est, profuerint quantum conuicia magni
Cæcilij nostris musis, audacius ante
Vsq; uagantibus Aethiopum ad puteos. placet audax
In medio cursu quadrupes, si iussa magistri
Audierit steteritq; in se collectus, & acer
Atq; micans pedibus, palmo si ludit in uno.
Par uitium in freno est, atq; in calcaribus. at tu
Quam docte & lepide Summonti scribis, amici
Errantemq; animo magnum depellis Asilum,
Secula dum cæca accusas caligine mersa,
Euboicum odisti, suffusum bile poetam,
Atq; canem Nili libantem flumina cursu.
Et uatem nosti ructantem carmina, Bacchο
Non minus ac Phœbo carum, magnisq; tyrannis.
Cui Dauni notus non scurra, & simia uatum?
In mare cui Simois lutulento defluit alueo.
Nil refert hodie, anguigenis siue agmina Thebis,
Aut Troiæ immittis, siue agros carmine lustras,
Flumina seu syluis meditare, & pascua læta.
Garrire ampullas satis & super est. ita prisci
Fecerunt, magnusq; Maro, doctusq; Catullus.
Nunc tenui socco spondentem grande, cothurnum
Miscemus, chaos informe atq; reducimus orbi.
Quid si iungatur uulpes & gallus aratro,

Et mox arenti mandentur semina arenæ,
Quos legere agricola expectet fructus? caput hirto,
Forte leonis, si pictor componat asello,
Non moueat risum? maiores nostra chimeras
Secula componunt uatum, magni & sumus omnes.
Audeat hæc contra quisquam, non flumine & igni
Flagitium expurget, non ulla piacula soluant.
Concessum paucis est, raros excipe Homeros
Et raros Cicerones, quis datur esse disertis,
Sint alij elingues? non istud poscimus, omnes
Non absoluemus circum. si parte uerutum
Feruenti arripias, manibus uestigia linquet.
Quid mage difficile est rerum, si forte rogabis.
Nempe quod inuitus facias renuente Minerua.
O si exorarit faciles nutricula musas
Vt charites docto nati sermone nitescant,
Perfusæq; labris diuino nectare sidant.
Hæc uenit è summo sublimis gratia cœlo
Atq; adeo paucis quos tantopere admiramur,
Humanosq; supra, diuum dignamur honore.
Ex his egregium tibi tu propone magistrum
Et duce & autore utere. si uis tempora nosse
Quis bene dicendum, non est tam turpe silere
Quam non matura, & ridenda effundere uerba.
Plus nimio prudens, non utilis cultor agelli
Rusticus, à flore excludi quum prima uideret
Poma, manu carpens paleis condebat, ineptus

Sic multo citius censens fore mitia. uix ab
Aesopo, nostri de magnis cernere rebus
Audent. hinc toto erratur cœlo, hinc sine sensu
Verba. at tu nosti cur Phœbo inuisa coaxet
Rana, & cur doctis musis est sacra cicada,
Quis sannæ effugit liuorem, sitq; supremi
Ordinis? Arpinas habita est facundia mollis.
Et fur Virgilius, centonum fartor. amarum
Zoilus haud unquam lassetur fundere uirus,
Nec Phœbi parcat uati qui nobile nectar
Mersurum tulit ætnæum Cyclopa sopori,
Nulla satis laus est diuum laudare Maronem.
His mi Summonti quem non mœrore leuasses?
Quid si ea tu orasses? tua quæ præstantia linguæ est.

AD LEPIRIVM.

Causa animi interdum quæro otia amice Lepiri.
Quapropter soleo a grauibus diuertere chartis
Ad blandas musas. suaui sic uoce fugamus
Tristitias, bilem quum, sanguine temperem. & ipse
Pocula diluere ad quintas didici. mera & assa
Non sat sunt cordi. nimium inseruire palato,
Aut semper uesci fatuis betis sine oliuo,
Tantundem est uitij, hæc in neruũ erumpere nolim.
Secessum in nostrum faciem Vincentius Orpheo
Os, barbam, rutilos crinis, oculosq; nitentes

Conuenit aßimilis, tantum quem laudat Apollo,
Atq; meus Borellus, amicorum & manus ingens,
Quis studium, cantu & fidibus mulcere uel ipsum
Plutona iratum. innocui & sine crimine, nobis
Viuentes, placide nostrum traducimus æuum.
Hoc sancto cœtu nihil usquam est lætius, & nil
Est tranquillius. at natura ita disposuit res,
Lætitiam, & solis iubar, ut dolor usq; sequatur
Et nebula atra comes. hæc gaudia & otia, sunt qui
Quod genus est hominũ, turbent persæpe uelut quũ
In paucos pedites equitum est immissa procella.
Non Hypanin Exampeus contristat amaris
Sic undis gelida inuitantem ad pocula Nymphas.
Nonnulli ueniunt, quos non admittere Asylum
Sit pudor in nostrum. quid dicam. Pausidienus
Auribus inuitis qui adeo tria nomina tactat
Quarto uerbo quoq;, atauos mox memoriter Ancos
Et Priscos repetit Brutos fortisq; Camillos,
Importunus homo, atra infeliciq; minerua
Omnia liuenti sugillans dente, maligna
Conficit inuidia, nostrum tum quisq; sinistro
Tangimur obtutu, atq; hebetamur membra saliua.
Dum mala torpedo stat, sæuis tundimur undis,
Heremusq; uadis. nequeo componere uultum
Sic me risus habet. uenit Veranius olim
Plus solito auribus expurgatis, mox & in aurem
Vincentio, ut me habeas in amicis ante secundos,

Nescio adulari, tua dura est musa & agrestis,
Nil moror artifices, minimū est quod de arte laborē,
Maxime opus uenere, his studijs lepidisq; camœnis,
Quæ titillando demulcet & allicit aures.
Garrula musæam taxauit acanthida cornix.
Persæpe huc Thrasibulus it incessu ut noua nupta,
Composito crini, & barba, Iunonius ales
Admirans sese & respectans, omnia agensq;
Vestitis manibus, quoniam belle sonat, immo
Præter se solum tarda & nihili omnia censet,
Deridet, nutat, nictatq; ciconia, at ipse
Plus sibi q̄ Phœbo tribuit, laudatq; superbus
Se clamore suo, os uenerandum, quod fateare
Murenis dignum, quas exagitarit acetum,
Cornibus altorem hic aries petit improbus, ipse
Alpheus totis non sordes abluat undis.
Regulus hac in classe est. Reguli auarius est nil
Turpi animo, nil Phœbo ingratius. aurea Phœbi
Limina ne ingredere, aut sapiētes Regule Athenas.
Moribus ornatus priscis uenit oscus Amillus
Sæpe etiam, studijs armorum quum uacat, una
Et Pantuleius. digito summo caput alter
Quum scalpit, regis Saturni progeniem se
Esse putat, magno nec cedit sorte tonanti,
Est & musicus, immo cantat Apolline dextro.
Alter si cœpit uerbis intexere quicquam,
Nulla alis æque obtundat correpta cicada.

Applaudunt inter ſeſe tolluntq; feruntq;
Laudibus, ærata ſtrepitu quæ ſydera tundant,
Tantum ſtultorum prouentum fert nouus annus.
Nos de tranſuerſo deludere. noctua cœtum
Cornicum ſi adeat, ne multum irriſa recedet.
Te domi ego opperior, reliqua ut dicam tibi in aurē.

AD PVCCIVM ET CIPPELLVM.

Quid rerum hic gerimus, cupitis ſcire optime Pucci
Et Cippelle. breui potuiſſem dicere, quod uos
Iſtic, quandoquidem ſimili pice Roma lituras
Fronte refert, ſerpitq; atrum in præcordia uirus.
Vel ſparta accuſet poſſum non parcere uerbis.
Quis furor inuaſit populos, Hecate ſacra uulgo
Ferre palam? & ſtudio id certant pueriq; ſeneſq;.
Nos, Lemures nigra pallentes nocte timemus?
Præterea abſtineas Syluina fabis & Acoſmos,
Iſtos nos agimus luci. populumq; uidere eſt
Bacchantum de more urbem percurrere totam
Quod ne etiam fando eſt auditum tempore in ullo.
Sunt nihil ad noſtra hæc, Eriſichthonis illa uetuſta,
Aut Prœti natarum atauis cantata ſeueris.
Nunc aliqui quos heroas uenerere, capeſſunt
Empuſæ faciem, lymphatiq; agmina ducunt
Laruarum. medici fugiunt, nec findere frontis

Venam audent.ergo quis erit modus atq; salutis
Spes? clamat circum magnæ nemora alta Cybeles,
Vel propter solum littus sua imagine captus
Infelix atys.sed quum fera cauda leonis
Verberat os mutat seq; ipsum emasculat,ultro
Fit mulier.nosces facile ornatu ex peregrino.
Quid ni intus uarius,qui uertit cum loco amictum
Polypus.aut tota erramus mente,aut mala diræ
Obiecere manus nobis incommoda uitæ.
Suauibus & nitidis erat olim moribus Acron
Compositoq; animo,qui cum mihi magna uetusq;
Iam olim intercedebat amicitia.hunc ego forte
Visere eo audacter penetro in conclaue,saluto
Obsequio solito,& solito de more.retorquens
Ille truces oculos altum submurmurat.asper
Haud aliter puerũ cessantem herus occupat hirquis,
Fors & lambentem mellitas ore placentas,
Quas clam difficili misisset coniuge,amicæ.
Miror,subdo nescio quæ.ille extra sata.in aurem
Tum cuidam,quo tempore me hic obtundere uenit.
Ne sim frigidior,capto quæ dicere poßim,
Omni me ramo impingo.fugit ille,neq; ansam
Præbet,uti laqueos cupiens euadere Proteus.
Incidit ne hodie neuum mihi tonsor? amara
Interea ira tumet,suffundor bile,receßim
Dilabens puerum personas ferre & amictus
Conspicor,hercle theatris aptos.hocce erat ergo?

Hunc etiam infecit uitium: stupeo, & mihi porro
Vehementer timeo, mala ne contagia serpant.
Iupiter hunc tantum de pectore pelle furorem.
Quam uellem, faceret sapiens insigne periclum
In re mi dubia, mox Momi larga fenestra
In latere esset, ut inde etiam perdiscere possem
Quis dulcis fructus, quæ tandem tanta uoluptas
Oribus inuertendis. Quin uideas & auaros
Quiq; suum fraudant genium, exhaurire locellos
Et tempus terere pretiosius. hic mihi Balbus,
Heus inquit, nonne est operæpretium, Meliteæ
Sese offerre in equis spectandos: hic Scytha, Parthus
Ille, at posce hominū genera & rerum, quot habebat
Alciden contra, formas Achelous. Et illa
Adde, Idola colunt Proceres sanctissima, & illa
Commoditas pulchra est, nā quærit Nerua latebras
Sic facile; auersus satis est non Nerua pudicus,
Quid mirum, mactat furuum si rite Lauernæ
Veruecem, furuam nocti cum matre bidentem?
Infelix popa, qui uentri & ueneri omnia debet.
Et puer Orbilius matronas & meretrices
Vna sectatur, Coruino animosior, olim
Hunc triginta unus iuuenes saliere salaces
Egregie acceptum meretricis fornice Hyellæ,
Prostituit miseram Phorcus demortuo amico,
Perfidia atq; dolis subtractam uirginem Hyellam.
At maiora audet, nec terret Lerna ferocem

Nec canis infernus, siue est quid atrocius, Orco.
Sic pecudum ritu, promiscua fit uenus illis,
Inuidere trocho pisci, qui se se init ipsum.
Seu clam siue palam, quid tum? nil deniq; refert.
Mopsopia & radix cessat, mugilq; trilibris.
Fabula dum loquor occurrit perbella, amat Ancus
Pompilij Albinam, laruatur uterq;, nam amici
Inuicem erant, fucis Albinaq; adornat utrunq;.
Postq̃ est urbe uagatũ, techna hanc insuit Ancus,
Nescio quas gerras obgannit, credit amicus
Securus sceleris, quid pluribus immoror? urbis
Quaeritur angulus, hic mutantur & ora repente
Et uestes, in Pompilium sese induit Ancus,
Constituuntq; locum, quo paulo conueniant post.
Aduolat Ancus, & Albinae ingreditur domũ, ut illa
Pompilium retur, demum facit omnia. in Albo
Fabula uersata est nostro diu. adulterij uos
Commentum nouum habetis, & est odioq; iocoq;
Sane q̃ dignum. certantem Acteona Cippo
Nonne auide spectes? pereũt studia optima, & omne
Perglíscit uitium obluctantia corda trucidans.
Nollem te totum in fermento, irae est moderandum.
Quantum te caruit febris, si morbus agit te?
An sapiens adeo atq; emunctae es naris, ut uno
Ordine percellas urbem? Querconius inquit,
Nempe seorsum sentio ego abs te. pars bona certat
Esse uoluptatem summum bonum, iniquius ergo.

Carpis, quos decet insanire, licenter amori
Addictos iuuenes & amœno corde puellas,
Haud natura parens dedit omnibus esse Catones.
Quanuis perplexe, nigrum latet ore uenenum.
Hoc inquam mihi succense si? Non te pudet, ille
Pergit, quum nullis parcat dentata papyrus.
Quam confidenter perstat contra, timet & nil?
Omnia non digito explorare foramina tutum est.
Non ut Aristophanes facio, aut Lucilius, ecquem
Nominibus lacero proprijs? immo, occupat ille
Sub nebula lux emicat. Ergo errata fateris
Sed non uis carpi. Quoniam Querconius est uir
Præpollens, meme subduco clanculum ab illo.
Quid contra plumbum contendat, fatur ubi aurum?
Atq; hoc me magis excruciat, quia diuitijs sunt
Magnis de uirtute loquuntur, ineptius, ut non
Sit magis Heluidius ridendus, si canat inter
Ochegos. male ita audiui dum scribo ego uobis.
Quanto olim melius, Lyricis & amoribus omnis
Linquebam tetricis hæc castiganda Cethegis,
Et mea non tenuem meruere poemata laudem,
Non iam ut committam antiquis, & carmine certem
Vatibus æolijs, aut Callimacho. omnibus illa
Otia suauia erant, tristis lapides loquor at nunc,
Nunc loquor urticas & uim mordacis aceti
Quod longe superet missum è Mareotide cella,
Nunc me hominũ osorem appellant, cuiq; innatet ore

Cerberus, & redolens stygis excrementa Celeno.
At tunc mollis erã, Chius, aut Cous est mihi iactus.
Quis locus est tutus sacrosanctis uatibus ergo?
Si fescennini plectuntur fuste poetæ,
Palladi magnanimæ si perperam habentur honores,
Quid mirum uirgo si concutit ægida, dextra?
Aucuper ut famam hoc facio? non hercule. at otij
Quum superat quicquam, illudo chartis, mea lotos
Inde redire uetat, certe mihi parcius erro,
Atq; adeo do quod Venus & Cyllenius afflant.
Quin postq̃ cœpi, turpe est desistere cæptis,
Non adeo robusta leues incus timet ictus,
Si constat ratio, ratio pulcherrima rerum,
Non digitum tollam, collatis me nisi signis
Debellent alij lupi, & ora latrantia tundant.
Quando per pacem prohibemur dextra sinistris
Seligere, explicui en aciem certare paratus.

AD ELYSIVM ARAGONIVM CARDINALEM.

Elysi, Aragoniæ stirpis spes una relicta,
Quandoquidem temere haud te prudentissima mater
Natura eduxit fulgentis in ætheris oras,
Iulij an ut fessi, nutantis pondus olympi
Sustineas hæres? Proceres hoc tempore si quis

Olfaciat propius, quorum numerosa propago,
Nare sagaci uir, quid ni abstineat, uelut ater
Abstinet a nautis miseris uerbum accola Nili,
Et clamet, cornu ferunt, fugite, atq; cauete.
Nil mihi cum prima classe amplius esse negotij
Duxi, ex quo musis me me inseruire dedisti,
Donatum rude, honestatum magnis quoq; donis.
Et meus est mihi dæmon, obstat & usq; repugnat,
Auertitq; animo, quæ alijs iucunda uidentur.
Quid me igitur palpant isti, meaq; otia turbant?
Aduersi multum expetere hic iam nouimus, est si
Nullus Mæcenas, *Phalaris* q̃plurimus. *est hoc*
Certe indignum, sed tamen est aliquid, digitoq;
Monstrari insigne. at Montanus *magna minatus*
Ac digitis posse primis discindere cœlum
Si foret aduersum, inter syluas marcet inertes,
Deses, at innocuus tamen, & qui Ephesi sinat esse
Vltra æuum æternum Dianæ *immania templa.*
Auribus auersis, moneas, animisq; repugnat.
Illud detestabilius, sunt intus amari
Omnibus absynthys aliqui, tenduntq; uideri
Nectare perfusi, sapere Ambrosiamq; deorum.
Non leuius prostat sub aprico Flauia? *Siren*
At te permulsum cantu alliciat, perijsti.
Occulto latrone fori nil tetrius. heu nunc
Per uitia & scelera claros ambimus honores.
Quid nisi tu diros Cyclopas *credere possis?*

Sæuis Neptunis & tempestatibus ortos.
Simioli istis conuiuunt, quibus est studium aures
Venari, & furaces graculi, & improba uulpes,
Et quicunq; feris infestior. hostis acerbus
Sit, quisquis quicquam si de uirtute loquatur.
Hanc mihi da ueniam dicenti magne sacerdos
Quæ stomachus nequeat tacitis dimittere chartis.
Hostes dira manus, sanctum inuasere senatum.
Plus nocet exemplo quam re sublimior ordo.
At tandem tandem. sic factum ad mœnia Troiæ est
Quum Phœnix fortisq; Aiax atq; autor Vlysses
Atridæ iratum ueniunt componere Achillem
Priscam in amicitiam? conuiuia læta pararunt
Ipse Menœciades Pelidesq; ipse, pudebat
Heroas tractare manu frusta oblita porci,
Et torrere igni, buccaq; incendere flammam?
Vt tacitum linquã Palamedem, quem inclyta uirtus
Inuisum eripuit terris, cœloq; locauit,
Quo scelere atroci misere commotus Achilles
Aequis luminibus Graiorum funera uidit,
Et Locron Aiacem linquam non dispare fato
Extinctum, Græci in cœlum quem laude tulerunt.
Omnia paulatim retro contracta feruntur,
Ex quo magnanimus cœli aurea tecta petiuit
Heroum extremus Cleomedes Astypalæus.
Candida simplicitas iacet, atq; audacia creuit.
Cœnati, appoti, talos ueneremq; calentes

Poscimus, atq; Ioui libamus stupra, rapinas,
Cædes, flagitia infanda, & monstra omnia rerum.
Esto continuo Pylius rex, quisquis amores
Damnatæ ueneris fractosq; Cupidinis arcus,
Tristis auaritiæ fucos, commentaq; luxus,
Enormes Bacchi leges sorteśq; bibendi
Attulerit. nostri non possum seculi iniqui
Non execrari feces morum. hic bene sentit
Montanus, uel si Geticas sese abdat in oras
Torpentem aut ultra glaciem. seruitur auaris,
Seruitur Bromijs, miserum, & sine lege Priapis.
Quid mirum si ædes sacras & fana deorum,
Prostibula efficiunt Templarij in urbe frequentes,
Infandum genus, errones a limine fratrum.
Aurea Saturni iampridem, argentea nati
Aetas præterijt, Martis successit, & inde
Plumbea, mox firma è terris cessere metalla,
Cœnosa est ætas, in stercore uoluimur, atq;
Crabrones agimus spurcos talpasq; tenebris.
Nonne sumus uita, quæ est peior morte sepulti?
Prorepsit uitium pedetentim oppressit & orbem
Terrarum, ipsa etiam corrupta elementa uidentur.
Non nobis Decij occubuistis uosq; Catones?
Et quibus ante diem decreuit gloria fatum,
Et qui pro cœlo, terræ damnastis honores?
Omnium homo horarum uel sis, uel tu tibi uiue.
Quid facient, indocti utres inflare tumentis,

Indocti cauda blandiri, ut sæpe catelli:
Nescis obsequio affirmare, negareue, recta
Dicere non recta, hæc domina iactante superba.
Nescis, ex ouo quantum sua Græcia natam,
Et mundum & speciem mirari, ac tollere cœlo,
Quum rubrica magis fucauerit ora, decebunt
Quumq; minus uestes, capitisue ornatus, ocellos
Cornicum nescis configere, nudus abibis.
Roseris hic si quid, Iouis alti inscende quadrigas,
Nusquam est quo fugias, neq; seruet te fugientem
Ipsa salus. si nulla meos meq; urget egestas,
Paruo diues ero, sat quondam in puluere nobis
Sudatum, musisq; faue, & mihi pollice dextro,
Sat mi habeo Elysi, ita me, magno cũ hercule serua.

AD HIERONYMVM SERIPANDVM.

Quum me tu officiose Hieronyme adisti, ego summo
Mane domo exteram accitus conuiua, pedesq;
Martini montem superaui, qui imminet urbi
Plurimus & molem & subiectas despicit arces
Quæ quondam Ponti spolijs fulsere rebellis.
Ianutius Zanclæus festiuissimus inter
Mortales, Decius, Carafa, Sebastus Ethruscus,
Et Borellus, sunt me umbræ tum forte secuti.
Sectatur Sargus uel per maria omnia mullum.

Vix erecta in collem acies, pulmonis anheli
Nec dum etiam pressi folles, animæq; resident.
Pro cœna tantum curæ, tantumq; laboris.
Quid, pro uirtute altum in cliuum Pythagoræum
Vrticis ubi uescuntur docta ora marinis,
Censes tantundem insudari? at mitia acerbis
Permultum distant, quisquam æquo corde sequatur
Ipsa fronte ferox, inamabile, per loca iniqua,
Spe dubia? ergo oculis non præstat credere certis?
Sed redeo ad cœptum. illius præfectus ouilis
Carthusij, magnum nomen Mastrillius, & me
Accipit, & socios, quàm comiter atq; benigne,
Post rem diuinam uotis iam rite solutis
Cœnaclo induxit celebri, late maris unde
Prospectus uasti, circum, terræq; patebat.
Dant manibus lympham famuli, tum cœpta geri res
Cum Bacchi latice, & cum dotibus Amphitrites,
Præclara Eurotæ credas Phidicia, uerum
Spe plures fuimus, sed pluribus hic locus umbris,
Nanq; animum affectum, diuinus sic amor urget,
Deuotumq; laboribus, ample magnificeq;
Instaurare æquum est, iterum certamen inire
Qui queat. has noctes aliter quis ferre diesq;
Est potis, & defungi munere relligionis?
Postquàm epulis sedata fames, sancta otia uisum
Ducit cellatim, missi & sumus inde benigne,
Ac ueluti pueri sub dura lege magistri,

E ludo emersi cum sole cadente, hilaresq;
Et sussultantes abeunt, opera illius horæ
Casta, fuit nobis uel magno longior anno,
Sic è seruitio exempti, per consita rura, &
Aspera per montis somno risuq; soluti
More capellarum lucem consumpsimus illam.
Vix excantata intertrigo deseruit nos,
Littore quũ inde uagi, scopulos Platamonis adimus,
Atq; maris longos temere est uia facta per æstus.
Sol inopinantes, iam celsa tenens iuga montis
Destituit tandem, supremam circiter horam
Rediimus, exhaustis terraq; mariq; periclis.

AD POMPONIVM GAVRICVM.

Dum tu græcissas, confusaq; semina linguæ
Docteq; & nitide grata in compendia cogis.
Admiraubndus dum tu perpendis Homerum,
Conuincisq, graues autores sæpe pusillis
In rebus, ridens lachrymare electra uolucres.
Regibus & nunq̃ non triste arsisse cometas.
Dum morum repetis iura, & naturæ opus, atq;
Omnia idem ipsum diuinum admirabileq; unum,
Mi Pomponi Gaurice, ego oceano uitiorum
Actus, idem tracto quod tu, diuersius illo
Atq; illo, tua quod numero clauduntur, aperte

Et tibi quod licet internoscere Dorica Achæis,
Et uerum a falso, obliquumq; a corpore recto
Iudicio alto, & naturæ seiungere ductu.
At mea de numero certant cum frondibus alti
Hercyniij saltus, libycarum aut Syrtium arenis.
Tum mihi de capite est crimen, si libera dico
Quo Capua insigni neuo, quo Roma notetur,
Qui mihi, qui tibi morbus. quid fiet medico, si
Aeger tradatur procerum sæuissimus, & cui
Sit felli nosci secretis partibus ulcus?
De medio infelix medicus tolletur, in ora
Ne ueniat uulgi fœda inter crura pudendus
Carcinus. at standum est uiui neq; deijciemur
De gradu, in exitium & uolitent tela omnia nostrũ.
Vt suber mihi cor, nullo mersabile fluctu est.
At uereor tibi ne eueniat, quod in arbore turdo,
Perniciem sibi qui cacat. olim coruus adunco
Rostro hydrum sublimem traxit in aera, ut esca
Esset, quem ille petiuit tetra cuspide, uterq; &
Pressit humum moriens alterno uulnere. Nonne
Deterius morte est tam tristem uiuere uitam?
Vis ne alis ego sacra feram, assentator, adulans,
Compedeq; aurata patiar solemq; niuemq;
Spe, mercede graui, neq; tot me exempla morentur
Indigna? At iuuet hæc olim sapere. An simul ipse
Osciter? & saliam ueruecum more, uel imum
Præceps in barathrum? Cedo, sed dente Theonis

Ne ferias, peccata sui sunt pœna cruenta.
Venari Amphion didicit ne fratre careret.
Olfacies cepas, si perges, est tibi amicus
Montanus, tu illum findis. Non inficior, sed
Par odio importunus amor, me nempe uicissim
Præ carum cunctis explorem qui male fictum,
Vt digito explorat mulier num fracta sit olla,
Hæc tacitus paterer? dudum pene ilia rupi,
Dum eleuat omnes, & tollit se Regulus astris,
Quisquiliasq; suas Gangis præponit arenis
Ramentisq; Hermi, & Dardarum mõtibus aureis.
Tot sapiunt barbatenus, impuri undiq; & audent
Pulchra loqui, normas audent & tradere recti.
At uarius uaria est damnatus lege tribunus.
Mille audet chartis Alphœnus carpere auaros,
Et formam & modulum statuit. contra hic sibi libat
Non large laribus, porcumq; est cedere dignus.
Nomen amicitiæ mentitur Florus, auari
Signa sequens animi egregie ductoris iniqui,
Aduersus rectum atq; auro fulgentius æquum,
Nimirum languet claro sub nomine Florus.
Hunc non expleret siculus mercede tyrannus
Quam classi, quam equiti peditiq; dabat numeroso.
Caluisius, Bouiusq; patroni ex ordine summo
Argento uendunt ius & fas, nomina mutant,
Obscurant, supponunt falsa. opibus iacet æquum
Prostratum, haud paucis placet exemplũ: oĩbus horis

Hæc indigna uides, mentitaq; signa, Palicis
Iuratamq; fidem ~~falsam~~ superi indulgentius ergo
Nobiscum degunt, quid non licet? at bene uertat,
Hæc mala dij tolerent patientius. ipse ferendo
Olim fermento intumui, intercus dum aqua gliscit,
Sic sum nare leui. Miseret pol. senserit, hasta
Et clypeo insurget tantorum exercitus, unde
Non euadere erit. Labienus, muribus albis
Ille salacior, atq; parum mas, cui uenus omnis
Dulce mel, adiurat sancte sibi cœlibe uita
Gratius esse nihil. non uiuum defodias hunc?
Non clames, quantum miscentes prœlia dura
Mille uiri? Hos mores nunq̃ laudauerim, ad illos
Quos tu collectos recitares, sunt nihil isti,
Sed quisq̃ efficiat, recte nepa ut ingrediatur?
Quæ natura parens dedit, hæc quis ferre recuset?
At sibi succendunt flammam fumantia ligna,
Ac si fata iuuent celeri properantia cursu.
Non adamas cor mi est. Conscendunt mille carinas
Heroes nostri, bello pro uirgine rapta,
Prædonum coniurantes subuertere muros;
Hinc eques applausu comitumq; & littoris, illinc
Tot dijs aduersis ingentem fuderit hostem.
Scandere fana leue est in sacra uirgine mictum,
Socratis ut qui obseruent præter cuncta magistrum,
In fidibus magnum illum inq̃ placidisq; camœnis.
Tum peius noxa crimen iactare, fateri,

Aures uenari, o memorandi gloria facti,
Ne uana ille olim, aduersum nomen te solem.
Ocnus tunc gaudet, pruritq; libidine summa
Quum multis præsente facit dicitq; pudenda,
Laudibus extollit Sippum damnatq; Catonem.
Balbulus est, famiam testam medici expediunto.
Illi quin præstat diros excidere testes.
His ego non nigra frontem loligine signem?
Quorum interdicat populus sibi nomine diro?
Immo, & compellant ex uinclis dicere causam,
Antiphatæ crudeles, & Cyclopes iniqui.
Vah, etiam, dixi decies, dicta abstulit Auster,
Nil mihi cū Hercule, nil mihi cū Euryto Oecaliēsi,
Muscas uenari præstat, mihi crede, sapis si,
Ni cupis ad mare quantum olim Eupolis expiscari,
Constiterunt magno Baptæq; Cotysq; poetæ.
Quis ditem ferat in uiuos ius dicere, fontes
Non satis est stygijs umbras si torquet in oris?
Quis tacitus ferat hæc, regnandi tanta libido,
Tanta fames auri? ideirco uiolata deorum
Templa iacent atq; exhaustæ tot ciuibus urbes.
Quid, superi unde oculos auertant dira minantes,
Pro facinus restat? quod non patrauerit exe-
Granda manus. decora o Latij nomenq; latinum
Huccine nequitiæ deuentum est? hic ego tandem
Expergiscebar, sol crine refulserat aureo.

AD SCORNAM.

Baiarum calidi fontes, dulcesq; recessus
Miseni ostriferi, uicina & Abantias ora
Felix lætitia cœli terræq; marisq;
An te Scorna tenent quod prosint? an potius quod
Delectent? cupio scire. & si commoda forte
Vtraq; non desunt, scribas quantum auribus addi
Tardis senseris auxilij, num rectius audis?
Tum cordi an melius? tetrumq; eliserit æstum
Cœli temperies & apricum littus, & umbræ
Lentisci, aut gratæ myrthi, & lacus, & monumenta
Prisca uirum, Euboica agnoscis dũ hæc, illa quiritũ?
Rudera nunc tantum obstupeas molesq; superbas.
An ueteri curæ sint atq; inuenta recenti
Frena, dolorq; sibi indulgens sua pharmaca norit?
Pocillum ne Helenæ ueras induxit amaro
Lætitias animo? præcordia an ægra manent ijs
Qui minimum chartis sapientibus inuigilarunt?
Nempe uoluptas atq; dolor, metus atq; cupido,
Lumine iam affecto mentis ui urgente inimica,
Vsq; premunt stimulis, & pungunt cuspide cæca
Perturbatum animum. sed tu hæc disquire frequenti
In turba, ad medicos latices quæ confluit istos.
Nam sæuo cruciatu, corpora si ægra leuantur
Remigio & uelis ibo admonitum Chariteum
Curatum ut ueniat capitis stillam, atq; podagram

Admonitum Pudericum orbatum luce oculorum,
Syncerumq; introrsus qui e pulmone laborat,
Et Bassum misere quem pustula sontica adedit,
Inde alios, morbus quos pernox perdius angit.
At si istic animi curantur, iam ibimus omnes
Præcipiti cursu, hospitium mihi Scorna parato.

AD ALDVM ROMANVM

Aldum Romanum iubeo saluere. Papyrus
Præsenti dicet, nos longe abiungimur. inter
Tyrrhenos Adriamq; soli tot iugera arantur.
Vt ualeas, quid agas tum iussi quæreret. atqui id
Sane quam inconcinne, nam quid agat sapiens, si
Exulem ad agrestis proscribat Roma Tomitas,
Terra animum uersa franget stantem, atq; minacis
Aestus fortunæ ridentem? cui patria orbis
Non auet altricis fumum spectare culinæ.
Virtute inuicta duce formidabile nil est.
Sæpe ego dissimulantes uidi, fortem & agentes
Ore uirum, sed qua tandem ui. sed uiolenter
Rursus ad ingenium natura impulsa recurrit.
Maior pars hominum secum fert triste, domiq;
Exilium, quibus affectus dominantur, & usq;
Est animus peregre, ijs deiectus sede tyrannis.
Longius hi miseri quo tendunt imperijs, hoc
Peius multantur, miseri certe. At tibi si rem,

Si patriam importuna abstorqueat, impete crebro
Irruat, inq; oculum, inq; caput Fors, oblinat aures,
Nonne animus liber, diuesq; sui, intus in arce
Hostem compositus spernit, securus & urget?
Quis fucum faciat sapienti, cui nihil extra
Est se, qui nescit uinci Amphitryonius heros?
Prauus pœna sibi est, sapiens damnatur Athenis,
Dij scelerum ultores crudeli morte tulerunt
Periuros testes. spuit alter in ora tyranni
Dentibus exectam linguam. indignum, bona mater
Vrbs Neptunia, consessus regumq; senatus,
In quam concessit totis sapientia Athenis,
Est sæua in natos & amicos, dum lupus instat
A fronte a tergo, dirusq; suprema minatur.

AD IACOBVM SANNAZARIVM.

Mens olim fuerat mores fugere urbis, & æuum
Degere securum, procul ambitionibus, inter
Mitis agricolas, & agrum exercere colendo,
Quem mihi nō grādi, exiguus placet, ære parassem.
Pausilypi dorsum quod apertum prospicit æquor
Quantum erat in uotis, qua se tua Mergilline
Littoreis specubus rapido defendit ab æstu,
Ac te mœsta uocat quando urbis amore teneris.
Iam sum animi falsus, migrarunt blanda uoluptas

Huc Venus, huc & amores, cum tenero comitatu.
Iam piget e scopulo pendere, aut poplite curuo
Saxorum faciem populari, cautibus hærent
Vrticæ & testæ, spinisq; armatus echinus.
Ipse etiam triui prostante crepidine montis
Totos sæpe dies, nam quid iucundius usquam est?
Iam piget arua manu durisq; inuertere tauris.
Improbus is morbi mos est, turpissima Siren
Desidia inuasit, tota hic montana iuuentus.
Cessaruntq; mares illi castiq; labores.
In niue pernoctat uenator, & ad mare tristi
Sub Ioue piscator relegit rorantia lina?
At bene grassari insidijs didicere coloni,
Si trabea expilat, centonibus expoliare
Ius erit. o miseri, quæ nos manet ulterius spes?
Tot furti commenta, tot undiq; funera uiua.
Non cuiquam curæ est patria, & respublica, diues
Ne asse quidem uili redimat suprema malorum
Atq; sitim atq; famem, immo manceps curet & optet
Atq; sitim atq; famem. memorentur, Curtius, alter
De Decijs, regum ultores Bruti, aut sacra Diti
Inferno ob patriam pulcherrima uictima Codrus,
Aut Cadmi de stirpe Menœceus, ilicet ergo
Ridere. exortes ueri, & rationis egentes.
Nulla est religio, recti reuerentia nulla.
Olim qui mites, hominum qui exempla fuere
Nunc Titanes agrestes sunt uastiq; Cyclopes,

Iniusti hospitibus contemptoresq; deorum.
At matri Larium facimus per compita multo
Cum capite, impuris labes detergimus undis.
At Themis aspectat sublimi e uertice cœli.
Improbe ne exulta, atrox pœna aut præmia quenq;
Certa manent, nihil est quod opes & regna superba
Opponas, bona quæ appellas, at falleris excors,
Nēpe quæ agāt homines transuersos in scelus omne.
Quanq̄ sera, uenit tandem uindicta ab Olympo,
Supplicia irrisoq; damus suprema Tonanti.
Dij superi seruate urbem, & mentem meliorem
Ciuibus inspirate meis. Sanctiq; recessus
Et quibus interdictum est delicijs leuis Orbis,
Quum toga promissa obnubat ueruecis amictum,
Mæcenas dedit exemplum, ac mollißimus Afer,
Nil condunt proprij, at uitiorum lauta supellex
Nil non intus habet. mare cuncta animalia gignit
Quæcunq; & tellus. olim hæc clam. nunc tua testis.
Syncere est Nymphe, rupes atq; antra loquuntur
Delicias summatis heræ, quæ tota cucullo est
Exposita, atq; licentia ut in floralibus olim,
Quos ludos facit os perfrictum. crissat ocello,
Prurit molle palam. ille hederis lasciuior offert
Quam nitidū se, & curata cute, nam omnis ī hoc est.
Quid dētem in candorem det,, quo splēdeat unguis,
Quid mammas compescat obesas, quidue saginet,
Ad formam faciat ne nigræ mage fucus asellæ,

An leporis pulpa? ex genere hoc sexcentaq;, multo
Quam Genesim ad digitos nouit melius, Solymorũ.
Certe anima illi pro sale ne putresceret orta est.
Mollitia fluit atq; liquescit, ut undiq; credas
Ardentes ueneres spirare, effundere amores,
Deposita pharetra molles effundere amores.
Nascetur confusa genus tigris aspera damæ,
Ni mansa filice sterilescat, & edat abortum.
Matronæ ex uultu uultum para, & omnia læta
Aspice, certatim harmoniam uocis modulantur
Semiuirumq; chori, & Bacchæ sine honore puellæ
Rite pedum pulsu, numerum chordæq; loquuntur,
Concelebrant pueri cantu syluamq; domumq;,
Et manibus saltant, irridentq; æthera uultu,
Responsant circum ualles collesq; supini.
Tum saltat Titium ac ceuet mollissima turba.
Florus ad hæc mordax, auidam nimis auricularum
Emungit, palpans letalibus usq; susurris,
Nunc illam tangit centum, nunc uestibus, aurum
Est quicquid loquitur. uita hæc emergit ab ortu
Solis ad occasum. ingluuiem ac præclara nepotum
Nox adimat lucem memorem si ex ordine cuncta.
Illi non mensæ uindemia sufficit orna,
Cœnat hera una tribus sæpe ursis quod satis esset,
Tum mensis damnata magis, magis appetit hydrops,
Quodq; odiosius est prægustatore Phileno.
Non Eruca, Thymum, Saturea, sed exquisita

Condimenta citant uenerem natumq; furentem.
Non dum inuenta salax priscis celeberrima planta
Inuictos qui se iactant ad prælia amoris.
Ter quartum ad calicem, demptis Iouis & heroum,
Deq; mero ueteri, ter sacra insania gliscit,
Nempe Ethruscus quam tanti Mezentius emit.
Ad mēsam esse putes Samothracasq; & Corybātas,
Clamore euantes, audentesq; omnia, nanq;
Poculo ut Alcides quondam, maria omnia tranant
Quum pulmo exhalat cerebro fumantia uina.
Hinc hinc Pentheu Echionide, hic est pluria Agaue.
Molle Maroneum quid aquæ ferat, an sit arenis,
An monte ortum, siccos expendisse putabis
Conuiuas dominæ egregiæ comitesq; supinos
Vinosos Lepreos, gladiatores petulantes.
At forsan docti niueum gallum facere Austro
Ne uiti officiat florenti & mitibus uuis,
Libare ignorant purissima pocula nymphis.
Carnibus usus aquæ elixandis, atq; luendis
Sordibus est, reliquum permittunt amnibus altis
Pontes perrumpi, & magnum augeri Ennosigæum.
Nil non tentarunt si poßint forte carere,
Igne domant insculpta argentea & ænea uasa,
Igne toralia, mappas de Memphitide lino.
Elixant etiam, uel caules munere Bacchi.
Clitorij laticem atq; oras odere Lycæi.
Ardenti stomacho ob crapulam hesternā ingluuiemq;

Relligio sit Sebethum instillare pusillum,
Guttula terna hausta ut gelidæ, illa incendia sedet.
Hinc uera audiri scelera, urget eo usq; Thyoneus,
Pertususq; cadus tantum non effluit. illa
Commendo uobis Carchesia pulchra rubetæ
Quæcunq; Aemonia & mittit quæcunq; Citæa,
Quæ probet Alcidæ forti nepheleias Hebe
Hostis nequitiæ monstris quæ immanior orbem
Terrarum inuasit duraq; tyrannide uersat.
Laude uirum supera ac factis pulcherrima uirgo,
Istis extinctis Lernæ letalibus hydris,
Istis Harpyis, furijsq; Erebi metuendis,
Hebe nequitiæ domitrix clarissima uirgo.
At bene habet, fortes procudunt frena mariti,
Nempe paludati patriæ decus, hostibus horror.
Quin sibi fœmineum mundum assumpsere, relicto
Frontis honore, sagis, ocreis, campestribus, illis,
Atq; bonæ pia sacra deæ persoluere gaudent,
Barbara si quando ceruici mitra recessit.
Expedit humano mustelas noscere uultu.
Semiuirum monstrum baccis ostroq; renidens,
Præ sonipes graditur phaleris redimitus & auro,
Post mimum Ocnum gesticulatur psaltria Bacchis,
Vrbem percurrit mannis rhedaq; superba
Euphratis domina, aut condentis cornua Nili.
Nam quid ego expediam sumptus sine lege modoq;,
Seruorum cuneos, ancillarumq; cohortes,

Et noua commenta ornatus, luxusq; magistros,
Atq; alia, aeausct quae perparco Euclius ore?
Segmenta ex auro, Murenae, Syrmataq; aurea
Ac si esset saeuus deiectus Volscus ab urbe,
Auspicys huius germani circuli & aurei
Necnon illa smaragdus, Elenchiq; , utraq; inauris,
Vt libeat priscum inuenti insimulare Promethea
Non sunt tanti absumunt quantũ unguẽta, liquores,
Cerusa & sandix, & inenarrabilis ille
Fucus ad Empusae ornandos cum fronte capillos.
Si cerebrum quaeris, fert uentis carbasus illud
Plurima, quam tenui clausit subtegmine Arachne.
Setabis & pharos huic componit licia telis.
O lex Oppia priscae, sanctae aliaeq; ualete
Quum leue peccatum, capitiq; imposta corona
Coniecit saepe insignis in uincla Quirites.
Censu oblimato, non ulli iniuria parcit.
Illa amẽs Venere & Baccho aequa immiscet iniquis.
Heu uideas, uisu ꝙ dictu foedius, aruis
Ab tetro quaestore abigi iumenta, cesisq;
Exolui tectum, tum exponere uilia rerum
Praeconem raucum, nec tam turpis pudet hastae,
Si non soluendo est priuam qui uendit opellam,
Vnde miser grex nati atq; uxor aluntur in horas.
Exclusam foribus nudo cum pignore matrem
Non tu uel satus ad Boreae miserabere terram?
Non indignantem naturam auertere retro

Ora putes? dirisq; in nos incumbere monstris?
Nili equus alta premit sacræ fastigia uirgæ.
Et si diffugiunt mures quum tecta minantur
Forte ruinam, quanto sit melius fugere urbem
Fas & iura iacent ubi mortua. Iupiter hanc non
Incolumen seruet, defendere si uolet æquum.
Ad uomicas redeo digressus longius. illas
Quũ puluinus habet, nihil est tam molle, querũtur,
Suspirant, ægra ac si pectora febris inurat.
An quærunt istæ cubitus in uitice castæ?
An salicis potius quid tristia semina possint?
Figite harundinibus ranas bona turba, mariti.
Hæc cura, hoc studium cunctas tenet, excipe paucas
Quas Musæ studijs dignantur, & ipsa Minerua
Artibus ingenuis, oculo & Venus aspicit æquo.
Quære alias terras, aut illis tu gere morem.
Si quid hies, mugire fretum, sæuamq; charybdim
Credas, te nec equi Pelopis, notissima fama
Quos fert pernicis currus rapuisse per æquor
Pisæum, nec delphinus quo uectus Arion,
Auferat in tutum. i Samium instillare liquorem,
Aut aliquid pulchrum Attæumq; & uapula. an ulla
Cantibus affecit Achelois remigem Vlyssis?
Si quid enim intrat respuitur, si aduersa repugnat
Mens animi, nil cæcius est nolente uidere.
Si quis Chrysippi Iunonem scribere sumat
Alcæo melior, Rhegyno & uate, Batillum

Ponere seu studeat, uera argumenta parabit
Ex his Leucosiis. Istis ac talibus ergo
Adductus rationibus, otior urbe, domumq;
Me me abdo, hic syluas confingo, & amœna uireta,
Littoraq;, & piscor uenorq;, ac omnia solus.
Sum mecum ipse mihi cœtus, plenumq; theatrum.
Heu scelerum pudet, atq; ardentum flagitiorum.
Cras ad Clepsydram, tantum non dissona uox est.

IANI ANYSII SATYRARVM LIBER SECVNDVS

AD PYRRHVM ANTONIVM IANVARIVM.

T puer es, nondũ excedẽs nisi fallimur, orbes
e Ter quinquaginta curuantis cornua Phœbes,
Atq; animi e penetralibus instas Pyrrhe p̃cãdo
Vt te aliquo donem scripto, ponamq; libello,
Id fore uel gemmis tibi, uel pretiosius auro.
Macte puer specie, uirtuteq; & indole rara.
Sed quid ego de illo dicam? qui cortice leui
Marcentem abscondit nucleum, nux castanea intus,
Crura obtortus, colla obstipus, luthens ora.
At bene non norunt genus irritabile uatum
Bulbi infelices & uilia tubera terræ.

Quid tum si satyra secor, aut tristi inquit iambo,
Seu celebror, quantũ Macedo rex *bustũ ad Achillis*
Optauit. *simul ac sum mortuus, unius assis*
Istas cantharidas facio, æque, istosq; catellos.
Illud perdurum, si quando angusta domi res,
Si uacat auro sacculus. Hæc Epicurus *an unquam,*
Quiq; metum tollit mortisq; & relligionis,
Quiq; putat dissolui animam? atqui parcus & uncti,
Et frugi fuit, hic natalem epulis celebrari
Legauit scripto, hunc etiam iussit cura futuri,
Gloriaq; & fama. At *noster sacer est, & haberi*
Nititur in diuis. nostrum puer esse, recaluum
Contendit senium, porco dementia digna,
Et quæ non tota Anticyra emendetur, ut idem
Est diuersus, ut impar, atq; adeo sibi discors,
Helluo, & impurus Veneris, *rerum omniũ auarus,*
Quas, se dum iactat, gerras effutit, hirundo
Garrula? letali quem non liuore lacessit?
Et uulgo, qui non distinguat ab hoste sodalem,
Crabro. uerum Asinus mysteria portet Eleusin.
Hæc *ego sic ausim, noui hunc me ualdius ipso,*
Est cane dignus & angue, aut mauis, tauro Agragan
At *tu perge puer, superato spem benefactis.* (*tis.*
Optandum crede a dijs immortalibus, atq;
Donum insigne puta, sic conciliasse poetam
Ut ferat excelsum te ad sydera. Achillis, Ulyssis
Testis erit uirtus nota usq; ad uerticem Olympi.

Nam ni scriptores essent suaui ore loquentes
Quid præter nostram ætatem sciremus? & essent
Tot benefacta sepulta, ad Lethenq; obruta tristem.
Illud erit summum si te laudauerit omni
Vir laude insignis, cui melle est dulcius æquum.
Ast ille infelix naturæ partus habetur
Impie & ingratus qui tantum hoc, uile putarit.
Vatibus infensos premet aut nox atra, silentes
Et manes, calamo infesto aut scribentur. iambos
Effugit laqueo natæ pro dote Lycambes,
Bupalus & iugulum fregit, pictoq; poetæ
Expendit pœnas. furor est uatum asper & atrox.
Hunc tu uitabis uel cautius aspide surda,
Si potuit Minos iustissimus insimulari
Ingenij absurdi, quum bello oppressit Athenas.
Istorumq; argumenta impia, profore qui nil
Iurgantur celebrari, respue, collige sed sic.
Sit mortale anima, in uita quid gratius usquam
Fama ac laude uiri, quũ mens bene conscia facti est?
Docto illi, fuerat uetulæ res grata, susurrus.
Et mecum facit illud. recta & praua liquescant,
Mors simul ac corpus latebris detruserit imis,
Conducit uitæ, laudanda ac pulchra fouere,
Conducit natis, & qui nascentur ab illis.
Sin expers mortis, quemcunq; locum sit adepta
Dulce recordari est perfunctos gloria honores,
Militiæ decora alta, domi & clarissima facta,

Seu per uirtutem si aliquo se geßit honeste.
Carpere tum datur illos qui diuersa ferunt his.
Ni pretium foret hoc operæ, quàm frustra habuisset
Gloria, quum uitam mutarunt morte libenter,
Præstantesq; duces, Christi numerumq; beatum.
Heu quàm deciperentur, claustris duriter omne
Degentes æuum, uitæ melioris amore.
Si quid iniustum sit maculæ, mens testis abhorret,
Flagitium ex animo nulla exturbare potest uis,
Aeterno hoc stimulo exercentur crimina uitæ,
Conficit hic animum rediuiuum uermis & exest.
Hæc uis est rationis, quam conceßit ab alta
Arce deus nobis, tanta esset nota potestas
Vt terris, nobisq; dei nitet intus imago.
Non casu ergo orti sumus hoc sub tegmine cœli.
En tacet, in sententia inepta Epicurus, & hæret.
Vtile, uel sero cecinisse receptui, ubi agmen
Dux trepidare uidet, dubia & uictoria nutat.
Disce puer, uotumq; uoue, quod post reus æuum
In ueniens soluas, id tota est mente petendum.
Lubricus ad uitia est homo, ut est pes littore in udo,
Aut propter fontem, qua uligo cerula oborta est.
Felix cui fulgent diuinæ lumina mentis,
Erroris mammas aliȷ̀ suxisse uidentur.
Caute hoc curandum, ac præ tota mente cauendũ est,
Nam semel imbutus uitio puer, ante senescit,
Ante uenit mors, quàm poßit de moribus hilum

Immutare malis, res nulla tenacius hæret,
Nos nobis facimus fatum, seu recta sequentes
Seu praua, hoc urget fatum mortalia corda.
Naturæ tu multa benignæ, (Sunt Ioue pauci
Progeniti, biuium qui norunt) plurima sed da
Formanti gratus patruo. non acer Achilles
Phœnici tantum debet. Quum forte magister
Ingenio accedit docili, præstantior, ungui
De tenero si fingit equum, quis nam ambigat? illum
Egregium fore ui studij, ingenioq; suopte.

AD HIERONYMVM COLLEM.

Olim gens dura, atq; labore assueta ferendo
Romani, Ligures, Samnites, omne latinum
Nomen, ut ipse orbis robur testatur, & arma,
A sole exoriente supra Mæotida, & Austrum,
Celtas prætereo & Cimbrorum immania corda,
Degenerant. alij ad luxum, muliebriaq;, & pars
Ad lucrum est omnis. defluxit gloria honorq;,
Atq; illud specimen decoris, præclaraq; uirtus,
Vt spes sit molles haud unquam defore luxus.
At, repete annales, fortis memoratur Iberus,
Et sitis atq; famis patiens genus, imbris & æstus,
Id quod cerno oculis, & tantum horum mihi creuit
Virtus, per stipulas quantum quum maximus ignis

Scintilla è parua furit ortus, & æquora lata
Mox superat, perdens hominumq; boumq; labores.
Agmen Cæsar habet inuictum fortium Iberum.
Si quis Alexander seu surgat Scipio, ut illis
Et uirtute sua fretus, qua qua abluit orbem
Oceanus breui obambulet. heus cur inclyte Cæsar
Fortunam finis elabi captam ante capillis?
Quin is quo te fata uocant, Solymisq; miselli
Vatibus expectant promissum, hirtisq; prophetis.
Palantum pecudum ritu pastore perempto
Nos uastat miles, qui ad Nili iam satis esset
Delendum populos. auertant omina magni
Dij superi e cælo aspicientes lumine dextro,
Quæ, dea terribilis, clauoq, armata trabali
Audeat efficere. & quid non compellit egestas.
Persæpe est melius largo ꝙ maxime auaro
Ne retice hæc sapiens, tua quæ facundia, collis.

AD COSMVM PINELLVM.

Cosme Pinelle, Mathematici, cæli ipsa uel astra
Quæ Genesim statuunt, fataliaq; urbibus altis,
Siue mapalibus ingenia, ex quo prima locauit
Fundamenta lapis, non omni quum ordine cernunt
Inuersos mores, mendacia tanta rubescunt?
Auspicijs rigidis Ferraria, Mantua pulchræ
Aoniæ Mantus proles pulcherrima ad Arnum

Cunq; Fluentinis Senæ, Latijq; coloni,
Galliq;, externi insignes & militis urbes,
Et Roma, heu posuere animos & mascula corda,
Iamq; olim iuuenis ualidus, nunc fœmina Cæneus.
Roma, heu nescio quis rerum permisit habenas.
Quam timeo. at sileo, o falso sim pectore uates.
Pro libertate expertæ sunt ultima Pisæ
Nobilis Alphei memores, & gloriæ auorum.
In numero uires. firmæ trabis abietis altæ,
Præstabunt uirgulta uicem, si uincla coarctent.
Italia, in tua sic uitalia, tela retorques?
Iste cucurbitulæ flos incertum exeat, an non.
Signandiq; tui Ligures, quorum fera uita
Duraq; & horrida erat, tum fœmina durior ipsis
Vel maribus, luxu sed nunc scatet undiq;, mollem
Salmacidos fontem, & Cyprios epota liquores,
Docta maritalem legem seruare Solonis,
Si procul abfuerit uir lustrans extima mundi.
Prodigus hic uitæ, manus utraq; cui calet usq;
In gremio, Assyrios audax expilat & Indos,
Naufragijs miser expositus grauibusq; periclis,
Barbaro ut enitead comptu (pecus improba) nupta.
Radanturq; genæ, & monstra omnia deniq; fiant.
Carpathijs magno lepores constant malesanis.
Quid, si oculis captus rex, inueniet ne pudicam,
An sacra gleba omnes, prorsus torrebit ad unam?
O Nemesis Rhamnusia, Adrastea, Oceaniti.

Quod non ijdem cum primis, Horoscopus? an quid
In causa fuerit? placeant commenta misellis,
Molpadiæ incendant tura, & dijs Phecasianis,
Cornibus Hammonis circundent aurea serta.
Scilicet hæ superis sunt feriæ, ea otia abundant,
Vt sua consilia auspicijs rebusq; pusillis
Credant, aut itidem rapidi mundi orbibus altis.
Demens dementi lænam componit Oresti.
Hoc mare sulcare, & uenari est retibus auras.
Ipse suis Cyclis æterna uolumina uersat,
Itq; reditq; sibi modulatus, & ordine certo,
Per partes, numerosq; suos, fulgentia mundus
Sydera dispensans nocti luciq; uicissim.
Quos homines magno edidicere Hyperione motus,
Motus præscriptos, sed quæ miracula dicas,
Vnde ea commenta & rebus portenta feruntur.
Mitte Genethliacos, puncta & Babylonia, mitte
Et coniectores, quid rerum somnia portent,
Quiq; suo minimum, at pecudis iecore omnia cernũt,
Et mõstra hæc, hominũ quę in mẽtibus ĩpie inhærẽt,
Ignoscatq; Tages, parnasi, & præscia laurus,
Sint liceat, ligures frugali ex robore auari,
Ex quo mortales geniti, nemo attulit orbi
Tantum unq̃, excipio Mariam Christũq;, Colũbus
Quantum uir ligur, & studiosus opum. ille parata
Classe adit Oceanum, ignotas atq; appetit oras,
Quanuis Neptunus uetet, & subito orta fragore

Tempestas mortem intentet, totq; obuia monstra
Impediant cursum, errorem mage sub Ioue cæco,
Fulmina & unde magis, q̃ sydera clara corușcent,
Sperandum nec erat, tabula mendicet ut assem,
Quâ uoueat Glauco appẽsã, Samothracibus & dys,
Aut inhumato det capiti pia dextera arenam,
Sed ceto cœnam ut paret, aut ludibria uentis.
At nisi auaritia esset, non penetrata fuisset
Torrida Zona rati: quando ingenia alta negabant.
Grata, accepta refert hæc, ætas nostra Columbo.
Ille docet quaquauersum mare peruium adiri,
Antipodas, nostrisq; aduersum calcibus æquor,
Quippe ea uis herbæ exiguæ est, nempe Ennosigæo
Quæ imperet, Europen Asiæ quæ portet opimæ.
Et uarias circes formas miramur & herbas,
Hæc, longe superant lini tenuissima fila.
Longum esset merces, auri uenasq; referre
Inuentas, luxus quanta incrementa recepit,
Vnde artes indignæ, & portenta ingeniorum,
Mox & opes ignotæ, stipatæq; tabernæ,
Nundinæ ad Aethiopas nostratum, Taprobanasq;,
Nunc celebres, aurum mutatur, nomina fiunt
Vt medio in Iano, Ligurum Venetumq;, bifronti.
Tempore quæ exiguo docuit commercia luxus.
Quæ finis tandem, quando opponetur alumen?
Mos patrius Genuatum est, à primis elementis
Gramatices Abaciq;, rudes maria alta peregre

Ac terras pueros lustrare, in mercibus omnes
Mutandis. puer hoc studium tu uile perosus
Te totum ad musas (quum gemmas inter & aurum
Verseris, ueluti sol impollutus, ubi intrat
In foricas spurcas, multoq; cadauere fœdas,
Et margaritæ sordent tibi, sordet & aurum)
Ingenuasq; artes tradis. puer optime perge
Sub Rauicberio insigni uirtute magistro,
Dexter adest, præsensq; tibi cum Pallade Apollo.
Felix qui numero exciperis, terra altius actus
Fortunas summumq; bonum in uirtute locasti
Sic fecere ataui, Phaethontis clara propago.
Fer templis uota, exiguo iam farre litasti.

AD ANTONIVM GALATEVM.

Antoni Galatee, tibi qui gnauiter æuum
In studijs rerumq; indagine conteris, inter
Clarus naturæ eximios rarosq; ministros,
Non Musa inferior, Gnidio nec Ctesia, Achæas
Seu latias usus poscat res, seu monumenta
Militiæq; domiq; illustria, condito ab orbe,
Quando es id ætatis, num qua est medicina reperta
Qua possent homines mentiq; animoq; mederi,
Atq; iræ atq; odio? Aegypti Polyhymnia Thebis
Inuenit philtrum, quo Atridæ oblita maritæ

Tyndaridos scelera Europæ funesta Asiæq;.
Tantalica id phiala efficiat, carmenq; Magorum,
Carmen Hyperborei Zammolxidos Abbaridosq;,
Isthmia Molpadia, atq; Isis memphitica, succi
Auricomæ Circes, flauæ aut mauis Perimedes?
Tandem dy superi nobis hæc dona negarunt,
Vtpote non dignis, aut nescio qua ratione.
An quia ad Aethiopas conuiuia læta frequentant,
Ad Boream acclinis populos odere rigentem?
At si forte inuenisti, & stat mallei ad ictum
Lamna, quid expectas? en uiscera iam cacoethe
Affecta, introrsum pulmonis & ulcera cernis.
Quin is suppetias audens, incide ueternum
Et pelle e caulis æternum pectoris œstrum,
Rimãtemq; aquilam rediuiua usq; exta Prometheo.
Tu plus promissis das, nugarum osor & ultor,
Quum sit in hoc Albo medicorum turba, quis unq̃
Præsentem non spondet opem? mendacia nobis
Dulcia mercamur uita, non ulla reperta est
Lex hucusq;, malum quæ hoc ulciscatur apertum.
Palles, nempe timens, quum captis mente resurgat
Plus duplo robur, nunq̃ maior fuit heros
Amphytrione satus, q̃ quum peruasit in Oetam,
Et furias igni excoxit, cœlumq; petiuit.
Dementis populi, Ellebori quis iugera septem
Non satis essent, an potis est assumere curam
Si rarus quisq̃ insanum uitauerit imbrem?

Quin potius Lamæ cœno se proluat atro.
Quam male uiuit & infeliciter, in patria ortus
Vnde urgent mala abire, tenent alia alliciuntq;.
Sirenum loca non temere dixere patres, &
Quæ trans ægre ierit surdato remige Vlysses,
Atq; eadem sumen naturæq; ubera, & illa
Palladis & Bacchi & Cereris certamina nota.
Non temere hic colitur Iuno feronia, uirq;
Anxurus & frater sancto perfusus amore.
Auspicijsq; refert lætis Eumelis Abantas.
Cypris amat pacem, oderunt fera bella Columbæ.
Sed dicent ciues, nobis ascribere iniquum est
Culpam naturæ cœli indulgentia, ut omnes
Parthenopen dicant ad luxum & ad otia natam,
Naturæ gaudentis opus, facilisq; parentis,
Iugis ubi fluit, atq; augusto fonte uoluptas.
Ingenium nostris pueris micat, ut micat aurum
Percussum radio lunæ per noctis opacum.
Maturam ad frugem, promissamq; indole prima
Perueniunt aliquot. si pars concessa, profecto
Sub simili est totum. maior ne alibi ingeniorum
Prouentus, tam flexanimes pueri, ante rubescunt
Quam fari incipias, uersa cute polypi, ad omnem
Doctoris nutum. sed quum uox caprit, & inguen
Turget, Lyde caue, caue Lyde. exclamat amator.
Iam de tutela excessit mihi grandior ætas
Terribilis ferulæ & gelidæ formidinis expers.

Admoneat recti, & praeceptis formet amicis,
Ne sumptu immodico, pompa neu scorta frequentet.
Si pergat Lydus, ferient mala frigora. Quis nam
Esse Linus uelit, irato forti Hercule? causa
Quae tandem est? eadem prope quae pullis asinarum,
Sunt belli primum, mox ore truci, auribus hirtis.
Nonne Opici oscenum nomen retinere uidemur?
Cernere nec uerum est animis caligine caeca
Offusis, tantum uestigia lubrica oberrant.
Quid ni igitur confecta est res, extrema iubeto
Curari ac funus, spes deplorata salutis.
Sedula pro nato uoueas nutrixue parensue
In dextrum conuersa latus, mente omnia uersans,
Cum genio facis, & dys tutelaribus, inter
Primos unguiculos, atq; ipsa crepundia, qui dent
Moratum iuuenem, atq; uirum, firmamq; senectam,
In puero nihil est opus, ingenio ille suopte
Spirat pulchra, alia est tamen a Laecedaemone uirtus.
Hac prece cum superis age, seu tu mane saliua
Ad lustras oculos, seu uepres carmine carpis
Cum tacito, auxilium poscens pia numina diuum,
Seu bullam appendit matrima patrima puella.
Sed mitto amuleta. auertant di illa sinistra,
Exorsa auspicijs magnis titania pubes
Desinat, horrendum monstrũ, ne in crura draconũ

AD CHRYSOSTOMVM.

Candide scriptorum iudex Chrysostome, priscos
Si, quae tot Graecos scriptores atq; latinos,
Haec eadem, satyras praeclari uatis Horatij
Iactura opprimeret, uix teste superstite fama,
Mox coelo, ut quondam diuinum ancile, repente
Deciderent, nudae nullo cum interprete, quid ni
Multo q̃ nostrae magis obscurae legerentur
Verborum ambage, & caeca caligine rerum.
Candorem in uerbis probat, at dilucida sensa
Lex prohibet satyrae. Et quoniam Lucilij amari &
Varronis periere sales, & uulnera caeca,
Archaea & ueterum extincta est comoedia, noster
Vnde suis Flaccus fertur sermonibus ingens,
Quod furtum latet, in satyra est praestantior unus.
Si esset fons notus Nili incrementa paterent.
Illos felices, alieno clara labore
Ingenia, atq; aliquos possem nunc nominis ampli
Proferre, haud secus ac furti quos ipse teneri
Crediderim, nam ni reddant, stygio inde barathro
Pendant. Lynx ita Triptolemo suprema parabat.
Fossa latens uitium tandem feret ortaq; arundo.
At nos ingentem Sorani crimine multam
Soluamus, si aliqua ex his quae dixere priores
Mutimus, quasi communes iam tum loci iniquo
Sydere desierint, cur nobis non licet, illis

Quod licuit? nunc nescio quas fingunt rationes,
Quas ne indocta quidem puerorum admitteret ætas,
Desciſſe eloquium, trito ſermone loquendum.
O lepida ingenia, atq; ſenatu digna Catonum.
Excuſat ſe inſcitia. ſic rerum omnium egenus
Damnat opes, prædurus Stoicus, *illaq; honeſtas.*
Forte eadem ſunt magnorum commenta uirorum
Rebus de incertis poſt triſtia funera uitæ.
Interea, heu facinus, mediam Scythiam *redolctis*
O Sophia, *o leges, uos ipſæ & Iſocratis artes.*
Rumpunt Suffeni *cellas lataſq; tabernas,*
Quiſq; liber iuſta eſt robuſti ſarcina ſerui.
Sed miſſa hæc facio, tu audi reliqua auribus æquis.
Ipſe mea expono atq; emitto ſcripta libenter
Non famæ præſentis amore, ſed illa, ut amuſsi
Sub uaria expungam atq; reponam, grammaticoſq;
Irrito, tantum quidem abeſt, in nos maledici
Vt nolim, ut ſtudio id quæram quã maxime & optẽ.
Res ita ſi poſcat, cera nil gratius, & nil
Eſt minio nobis, noctem quo ſydere pellam,
Eſt teſtis locuples Falco *& noſter* Pariſetus,
Bloſius Eubolides, Mamertinusq; *pyretes,*
Et Baianus Abantiades, Vitalis *&* Archon,
Qui nos pro officioq; & amore ſequuntur amici.
Mirandum dictu, quæ hominum uecordia, cæci
Quæ ſunt ante pedes, minime perſæpe uidemus.
Vel pueri emendent patior facile atq; libenter.

Si supra crepidam quis iudicat, atq; refello,
Cur dura ceruice obsistit? an ipse refelli
Si res, si ratio cunuincit aperta, recuso?
Prouoco ego ad populum, si anceps, sententia amici,
An mea sit melior, ueri indagator amansq;.
Non capto auriculas ut nobilis Aetius, utq;
Olim Hortensius, in lenocinijs prope totus
Verborum, sed scripta carent fuco atq; medulla.
At mox cum imperio cecidit simul ardua uirtus
Vt decus est fractum, & luxus prostrauit honestum.
Sic maribus numeris uerbisq;, ut fortibus armis
Roma olim certans animos æquabat Olympo.
Victo orbe est translata uoluptas Martis in urbem.
Id metuens, mea perraro ac paucis lego amicis
Quos ego Quintilios norim Metiosq; seueros.
Quanq̃ cum fidibus quondam lepidisq; camœnis
Magna mihi intercessit amicitia, ille ego contra
Non studui hypocritæ Aesopo, uenalia & ora
Et linguam qui artis pretium locupletis habebat,
Simplicitas adeo cordi fuit aurea uirgo.
Id mihi cum doctis nunq̃ non conuenit, odi
Applausus, odi clamosæ iurgia rixæ,
Ignorantiæ enim hæc est natu maxima proles.
Quum uerum elicui, istos mitto digladiari,
Discedo exultans, totusq; in sole supinor.
Inferior multo est Epicuri summa uoluptas.
Conclusumne satis tibi mi Chrysostome? certe.

AD FRANCISCVM AELIVM.

Quando mortales uerbum discent uetus illud,
Esse hominē, bullam exiguo quæ humore coacta est,
Esse umbrā occiduam, esse insomnia, uanaq; rerum;
Hic si autunnus non docuit? non, funera uulgo
Tot procerum? pompas hesternas crastina uidit
Aurora efferri ad tumulum acclamante popello,
Pompas magnificas, opibus luxuq; superbas.
Nulla dies ægris mortalibus occidit orta
Quæ non audierit tristis gemitus, ululatus
Mæstificos, pompæ comites, & funeris atri,
Pompæ lugubris, facibus lambentibus astra.
Estq; Charon fessus uectando ac cymba fatiscit.
Nulla cadaueribus non fœta sepulchra, malignus
Nos a diuinis rebus porro halitus arcet
Nidorq;, ut quum tritones torrentur in igni.
Non ne hoc Cambyses uultu taxaret acerbo?
Et fumus assidui in templis, dum rara profestis
Lux nitet, humanis tam agitur cum rebus inique,
Quid nam est hoc irrelligiosius? hic ubi crebri
Conuentus hominum, crebriq; feruntur honores
Cœlicolis, lamas tabo facere atq; lacunas?
Eurynomis nullis qui adeo pellantur ab aris
Flumine puro, terribili prece, sulphure & igni.
Scilicet id tabulæq; decemq; uiri instituere.

Quo oraclo nostras Pisistratus expiet urbes?
Haec nota Traiani uitam denigrat honestam,
Nam fuit impia mors, quum tam pia uita fuisset.
Contra, dij superi Sicyonia iussa probarunt,
Atq; habita iccirco longe clarissima Delos.
Multo erat urendi illa minor dementia, quamuis
Sit res permira, unde lignorum copia tanta
Nempe rogis cineri dandis tenuiq; fauillae.
Nunc suspensa aris, suspensa cadauera templis
Celsa Tyrannorum, qui uiui oluere Mephitim,
Aequa tenent superis, aequo censentur honore.
Hanc legem Pluto non iam praescripsit in Albo.
Quid dicent? uitio diuum simulachra coli qui
Vertebant? siquidem deus alto est corde colendus.
Felix simplicitas patrum, contenta rubenti
Quae minio est in honore Iouis, celsisq; triumphis.
Vt bene Carthusiis sub tecto, & sit sub aprico
Funera qui credunt terrae & redolentibus hortis.
Vtilis hic mos sit, cogant si exempla misellos
Nostra recordari fragili quam corpora filo
Iam iam praecipitem sperent suspensa ruinam.
Sed longe est aliter, crescit sitis arida habendi
Per scelera, atq; adeo dominandi dira libido,
Quo stimulo ad calicem Memphi conuiua citatur,
Ac si sint nobis atra cum foedera morte,
Defosso & corpus carbone perennius esset.
Portenti hoc simile, & nulla ratione piandum.

Haec illi facerent, qui fato longius absunt,
His hominum studet exacta & cariosa senectus,
Quis superat uitae pauxillum, Iupiter & sit
Germanusue paterue. Heu mortales male sani
Tot fastusne feretis ad orcum? stant triuio illi
Tergemini censores. poeniteat malefacti
Nonne putas animam laeuo duce daemone iussam
Tartareas noctes, & flumina tristia adire,
Quae Leo adire parat, domicillae luctus amarus
Dilectae Nymphae? nec multum proderit, aedes
Mane salutatum diuos, accedere sacras,
Mox mea suppiletq; & tractet sacra profanus.
At multum simulate, ac dissimulate, licebit,
Et nobis imponite, quidnam; creditis, ipsum
Fallere Minoa, & praui osorem Rhadamanthum?
O miseri, pallor iam luridus occupat ora,
Mors inopinantem opprimit. en uenit hostia, placa
Hac superos, instat syncera mente sacerdos.
Non opus est inquit Taurella, atq; exerit ore
Damnato stygiam linguam. Ter flumine uiuo
Spargamus caput, haud pigeat commissa fateri
Dum fragiles artus fouet ignibus aetherius sol.
Qui uitam egregiam uiuunt, uirtutis amore
Qui flagrant, ac caetera temnunt illius ergo,
Non mortem metuunt, sed Gallo rite soluto
Filio Apollinis, e uita quum forte recedunt,
Alternis Paeana canunt, caeli aurea templa

Spectantes, terramq; illam, quae purior hac est.
(Vt moriens Cygnus) sedes orasq; quietas
Cantat auens, ubi non uenti, insanaeq; procellae,
Stridore horrisono syluas, & turbine uexant,
Sed uer perpetuum est, & formosissimus aether,
Hanc inhias uitam, magnos uisuras amicos
Aeli, nec coetu accedes pars ultima Phoebi.

AD CAELIVM RHODIGINVM.

Si numerum faceres tantum graue pondus inersq;
Vt bona pars hominum, te aliter solarer amicum,
Leniter ut ferres mortem patris, atq; animo aequo.
Vnum pro multis scribo hoc tibi nobile dictum,
Mors ne bona an mala sit tandem, sic collige. nota
Non repeto Rhodigine. Est mortis, soluere nodis
Corporeis animam, & quicquid uis musica nectit,
Quanquam diuerso ingenio & tam dissidet impar,
Desidia ut motu, duris liquida, humida siccis,
Vnde ortus uitae, naturae munere pulchro.
Quum mors nigranti graditur pede, continuo omnis
Harmonia illa perit, repetunt sua semina auita
Singula perpetuo cum gaudio amoreq; mirum
Ob desiderium. num quo exoptabat Vlysses
Plus patriae fumum, quam Phaeacum arua beata?
Quo permutasset Tanain Sulmone rigentem

Qui querulo infestos cantu execratur amores?
Quæ inuidia hæc tandem, atq; adeo dementia? luctu
Prosequi, ad optatas animam sedes redeuntem,
Atq; itidem corpus? quum terra est reddita terræ,
Quumq; anima est cœlo, si æterno dulcius est nil
Motu animæ. contra, nihil est mage corpori acerbũ.
Tum bene habet, sua si detur pars cuiq; fruenda.
Inter disparia haud facile est pax, consona ꝗuis
Conflictu ex illo exiliat concordia, tum ultro
Haud simile a simili diuellitur, & bona nunꝗ
Vincta malis lõgum. alterutrum peccare necesse est.
Puro anima è cœlo purissima pergraue corpus
Vrget agens, nisu moles onerosa resistit,
Cœlũ illa, hoc terrã expetit, æternus nã ibi motus,
Otia perpetua hic. mœrore ob uota secunda
Successumq; bonum afficeris mortalis? Vlyssem
Tantopere expectans uxor peregre redeuntem
Si mœsta acciperet, num sana hanc mente putares?
Præ qua ille, & Circen parui, diamq; Calypso
Fecerit, æternumq; amens contempserit æuum.
Tristamur tamen auferri coniuncta, dolemus
Priuari assuetis, maga enim natura tenet nos
Hisce ergo illecebris. sed si tu te tibi reddis
Ab corde ista uiri aufugiet muliebris imago,
Læuaq; opinio, agens perturbans pectora nostra,
Quæ lachrymas citat, & caput atro puluere fœdat.
Nos unam horremus mortem, quum temporis hilo

Permultas miseri mortales perpetiamur,
Dum iacet ægra malis anima hoc in carcere tetro.
Expletis numeris, uitæ spatijsq; peractis
Migrantem ad superos, porta admissum Capricorni
Despectantem nostra, æquus compone parentem,
Inq; malis minime ducas, rex Iupiter ipsi
Quod statuit commune sibi, atq; esse omnibus ortis
Rebus, quis motus ut est, ingenioue suopte.
Sancijt hanc legem natura ab origine mundi.

AD TYBERIVM CARRAFAM.

Misti triticeum dudum quod munus amico,
Naufragio perijt nobis, at piscibus illud
Accessit lucro, è Lachesis gremio exilijt sors
Quæ farre undifluum Neptuni spargeret æquor
Sulcatum temone prius, curuaq; carina.
Insulsam Cererem fecit salsam Ennosigæus.
Fata sibi ad risum sumunt q̃plurima. sed sat
Nugatum. credo te ægre Tyberi optime ferre
Iacturam, ob damnumne ingens? non. sed quia amico
Non satis est factum. inficias non imus, habere
Quod melius foret, hoc præsertim tempore, flauam
Ac lectam Cererem, sed Fors quando abstulit, illam
Expensam fero, ego sat amici pascor amore
Officioq; in te quod mirificum fuit usq;,

Qui nunq̃ cuiq̃ præstanti pectore cedis.
Non ab re fuerit, fortunam dicere nostram, &
Quam nobis sit iniqua dea improba. mi canis omni
Prosilit in iactu, Venus aufugit, estq; periclum
Sæpe mihi factum, uno illa est aduersa tenore.
Quarta ne luna mihi Saturni cum face fulsit
Nascenti? an mustela domi manet omine tristi?
At sit quod me cunq; potest fraudare nitenti
Spe uitæ, enectumq; fame, & salsa obrutum in unda.
Me audiet illa etiam plorantem ac molle querentem?
Quin secus est, ruat in me uel Iouis ira, coruscis
Fulminibus, gaudebo cotem me esse malorum.
Virtutis clypeum ærumnis opponere pulchrum est.
Hæc paucis nota est medicina, asperrima contra
Fortunæ tela. imbellem te ostenderis, actum est,
Acrius incumbet, castrisq; & te exuet armis.
Audens iueris aduersus fortissimus heros,
Aut cedet diuersa, alibi ut turbet leuis, aut sic
Multo adeo minus armatum te spicula lædent.

AD FABRITIVM COLVMNAM.

Et cupimus fœtam ærumnis superare senectam.
Ignari prorsus quæ incommoda fert deus æui
Saturnus. finem rerum cognoscere pulchrum est.
Supplicijs homines cœlum uotisq; fatigant,

Totis sæpe Arabum prouentibus atq; Hecatombis,
Scilicet ut fortes rebus potiantur amatis,
Exposcuntq; suæ nimium contraria uitæ.
Nonne putas Priamum cum dijs orasse senectam
Seram, fortunas, & opes? facilesq; dedere.
At non, quum cecidit ferro percussus achiuo
Illum pœnituit uoti? tot funera uidit
Natorum, ingentisq; ruentia pergama Troiæ.
Par superis esset, si dulci e uita abijsset
Incolumi regno, rebus florentibus, ætas
Ni, exoratis dijs, Laerti longa fuisset,
Ipse suum cor edens hominum uestigia uitans
Fugissetne urbem mœrens ad rura Colonus
Durus, & ætatem præter sortemq; laborans?
Euander cari Pallantis funera uidit.
Dira fuerunt Pompeio post, uota, triumphos.
Quanto Ferrandus felicius occubuit, quam
Alfonsus. tantum regem excepere cucullum
Degenerem siculi, Italiæ qui terruit olim
Tot populos, fulmen belli, Mars sæuus in armis.
Sunt nostra exemplis anteactaq; secula plena.
Petijmus, en senium uenit, querimur podagra mox
Torqueri articulos, uires languere, animumq;
Deficere, auelliq; senes natosq; nepotesq;
Vltra progeniem quartam. Nescimus inepti
Quid uolumus. si quis non auferat impetratum
Quod multis supplex uotis precibusq; poposcit,

Continuo in diuos lamenta. heu numina sancta
Si pecudum fibras adoleui, si omnia rite
Feci, uos adeo surdis iuuat auribus esse?
Impia uox. quanto satius, quae pulchra & honesta
Quaeq; bona optemus. tum si qua infantia nostra
Peruerso exposuit uoto, precibusq; sinistris,
Auertant dij qui melius scire optima possunt.
Presso ore auriculam digito tangamus honesto.
Ter miser & quater est diuum qui prouocat iram.
His, Semele, bis Cadmi domus inclyta fulminis arsit
Ignibus. ambussit Phaethon tecta aurea coeli,
Lacteaq; aeternum sceleris manet orbita signum.
Insignesq; notae maculant Titanida Phoeben.
Nos animo infesti, ignaua caligine mersi
Vix umbras rerum spectamus. quum prope ueri
Fulgor adest, oculus refugit, radioq; relanguet
Percussus. magnum hoc docuit sapientia paucos,
Quis iter è terris ad coeli lucida templa.
Hi regesq; ducesq; mihi sunt, ast alij grex,
Ac uile armentum: hi uitam transire serenam,
Vltro alij in tenebris optant perferre labores.
Ne te angas animi Fabrici, si filius ante
Maturam frugem eripitur, cur fata maligna
Apellas, atq; ille tibi tam saepe uocatur
Vitae oculus, senij baculus, medicina dolorum.
Nempe erit huic morbo melius, tibi quũ ueniet mors
Aegrotumq; animum curis exoluet amaris.

Huc usq; ad summum, fertur dolor, heu breue tẽpus
Et coruos supera & cornices. fortius ergo
Sit fluctus animi componere cum ratione.
Sic Clothus mater uult, serius ocyus, omne ut
Occidat exortum. perferre patiq; necesse est,
Ascribenda bonis, statuit quae summa potestas
Autoris rerum, mundi moderantis habenas.

AD BENEDICTVM ACOLYTVM CARDINALEM.

Vt nostras edam Satyras in mille libellos
Impressas hodie ut fit, Acolyte saepe monendo
Vrges. Ipse auscultaram si certa tulissent
Ex adytis musae, nihil amplius esse necesse
Addere, mutare, aut expungere, quod facio usq;,
Nec satis est, melius semper quaero, atq; animi angor.
Non modo non uitio, sed laudi est multa litura.
Sisyphium ut saxum aeterno molimine uoluens
Percuro a capite ad calcem, mox deinde reuertor,
Quo tamen ulterius procedimus, hoc magis illa
Lux ueri se aperit duce consilio & ratione,
Iudicium crescit porro, labor exteñuatur,
Cessarunt maledicta, & quem non liuor adedit?
Forte quia incipiunt nostri canescere uersus.
Quid facerem si emissa essent incusaq; nostra
Scripta nota irreuocabili, & hinc prorumperet alta

De latebra uitium improuisum, turpeq; mendum?
Vt cute sub leui cæcum ulcus, sæpe fefellit
Id summos etiam scriptores, postera quamuis
Aetas consuluit boni, & erratum esse negauit.
Quid, si se offerret quod multo illustrius esset?
Dij meliora, reformidat mens quum ominor istæc.
Non bene Apollonius audiuit, Iasona misit
Quum rudis in sæuos Colchos Pontumq; rigentem.
Nonne magis Pherecidæa illa modestia pulchra est?
Quum scripsit moriens sapienti extrema Thaleti,
Formidans adeo famæ monumenta sinistræ.
Imperfecta exit, nec formam absoluit imago,
Continuo flammis reddo æs, iterumq; liquatur.
Editio fors ad famæ conducit honorem,
Præsentis famæ, uulgus quam affectat amatq;,
Atq; ita iacturæ uitetur ut omne periclum.
Non equidem hoc aßis facio, istorum osor honorum.
Alterũ ego & timeo & curo, & caueo studio omni.
Deflagret si forte domus, ducam omnia salua
Libro uno saluo. Satyrusq; teresq; Cupido
Praxiteli instar opum. ueruntamen altius illud
In corde insedit, quod paulo diximus ante,
Idq; uidetur curandum magis ac magis esse,
Id quod pauci curarunt, re & nomine clari,
Qui sacra æternæ soluerunt debita famæ,
Nec sua præcipiti obiectarunt scripta ruinæ,
Vt faciunt pleriq; omnes auidi auricularum,

Quas magno redimunt corrumpuntq;, atq; seueras
Odere, ac lacerant. laus hic satis, omne futurum
Haud quærunt. strepitu uerborum sæpe Menandrũ
Vicere, at ueniam præfato dic mihi quæso
Mire Philemon, quum me uincis nonne rubescis?
Occidit applausus, patriæ intra mœnia tantus,
Euasit breui in omnes illa modestia terras.
Nescio quo leuis iste ac uanus, distet ab illo
Qui uitæ nulla cum laude edormijt annos.
Acri uir lingua, astu insigni Psittacus olim
Dictorum ancipiti amfractu detecit Osirin
Regnatorem Austri uera e sententia, ubi ille
Se se collegit, sensitq; dolum, scelus audax
In uolucrem uertit, remanentq; insignia linguæ.
Prætereo, an referam uatum mendacia, pennis
Pauonem esse Argum milleno lumine pictis?
Rusticus ille fuit pastor, sed fabula uera est
Formatum ex iuuene studioso gloriæ inanis.
Nulla est pestis amarior, hinc prolapsa superba
Imperia ac res publicæ, at ipso stant bene, uero.
Non sapiens temere auriga ratione labascit.
Non uideo, cur non istos feriat Iouis ira
Atq; uetet prorsus tam uano gaudio abuti.
Ingenium nostri quid ni placet Accij? & ille
Sermonis nitor atq; uenustas, sed mihi multo
Castigata magis fixtura examine longo
Pol placet, exemplo quo præcipue tua condis.

Triginta ille annos breue opus de uirgine presit.
Qui sapitis recte, radicem impingite in imum,
Securi, impellant insani nubila uenti.
Consilium res est sacra an fortasse periclo
De nostro, tua decernes. Audi, mihi nuper
Quae dixit ueteris famae Heluius. inciderat post
Diuersas res de satyra sermo, ac super una
De nostris, uis dicam inquit, Lyricum bene certe
Fecit Horatius, at satyra infelicius exit.
Multum obsecraui, rationem redderet. ille
Sic iterum exorsus. pede claudus, & undiq; durus
Atq; incompositus, breuius dicam, fuit aptus
Non bene ad hexametrũ. in satyra regnat Iuuenalis.
Pene senis uerbis stupor euasi, & mihi uisus
Sum multo inferior, si noster Horatius infra
Est Iuuenalem, quae Acronis sententia inepta est.
Grandior ad numeros, scripti & genus omne fuisset
Si noster uoluisset Horatius. heus bone, grandes?
Ad satyram ne modi optantur? sermo omnis habetur
E medio. obtusa ingenia almae & lucis egena.
Quid mirum si de nobis etiam illa feruntur?
Nunq̃ ne in coelum attollent ab humo ora supina
Nos q̃ Virgilium contingit gloria maior
Si quid Romana in lingua profecimus Osci.
Tunc uitiosa esset, numeros si ascisceret, atq;
Ampullas, & ab his tritis discederet errans.
Heroum nisi quum libuit canere inclyta facta,

Aut grande & memorabile quid, nam non iuga celsi
Vsq; adeo satyrae Parnasi odere procaces.
Nec cum grammaticis sensi, concursum elementi
Qui similis uitio dant. omnibus ire Helicona
Non datur. unguentum sus putida nobile uitat.
Hoc liceat, mordax dilutaq; nectare sit uis,
Dulcia quae possit respergere mella uenenis.
Haec, ueluti uiolae arrident sub uepribus hirtis,
Mistaq; purpureis hyacinthis lilia cana.
Sed de his hactenus. o fineret deus, optima secla
Illa redirent, grandiloquo in genere omnis ut essem,
Fors ueteri Moscho haud minus admirabilis, aspero
Hoc iam damnato, canerem sublimia rerum,
Naturam omniparentem, regum ingentia facta.
Hic numeri insurgant, altumq; sonantia uerba.

IN PVEROS MERITORIOS AD DIVVM PAVLVM.

Ergo artem pueri callent meretriciam? ab annis
Lentum usq; indoctis mucum detergere naso,
Indoctis spuere, & quam sorbere sit pituitam
Turpe. at, da mi basiolum, da deinde secundum,
Amplexare columbule mi, me me en tibi dedo,
Tum illectum, suauem magis inuitat lupa ad escam,
Crissat mollis ocellus, & ad numerum omnia ceuent,

Murmuraq; & uoces respondent motibus, & iam
Lingua suas, partisq; suas manus utraq; nouit,
Hæc bene tam docti, quam scortum in fornice adultum,
Quæq; libris Elephantis habet nouere nouenis
Quæq; Philenis, & ijs antiquior Astyanassa.
Quinq; gradus alios etiam in Venere inuenere,
Quos neq; Celtæ olim, neq; nouit barbarus ullus.
Nonne afflata Venus Saturni sydere opaco est?
Mercurio hinc adeo dextro, multo melius quam
Quum medici curant hydropa, emungere amantem
Norunt argento atq; auro, demum satis est nil,
Poscũt quod mare possidet, & quicqd penes Orcũ est.
Deglubunt ita oues, irridentq; & male perdunt,
Mercanturq; fide græca manibusq; oculatis,
Quantum, ne ulla quidem lenarum pessima. magnus
Pro pudor, ac scelus immane ingens. sed puto nequã
Sunt aliquot pueri extrema de plebe. Ita certe
Nequam aliquot pueri extrema de plebe. Hyacintho
Qui claros numerat patres, impurius est nil,
Nil q; procacius, ac uenale magis, mala merx, &
Hæc, & plura facit, stomachum motura uel ipsi
Felici, in fornicis qui exegit olentibus æuum.
Cur hæc irato non ceditur hostia Baccho?
Et ne deficiat forma infelicior oris,
Pulli infelices, infelicissima forma,
Bellum indixerunt formicis oua ruentes,
Nec flori pariunt inscripto nomina regum,

Mangonum docti, & sagæ medicamina Salpes,
Atq; Cotyn Ephyræ summo pro numine adorant.
Rem miram dictu ueram tamen, esse feruntur
Qui detestandos se ultro exposuere chirurgo,
Dum celebrem quærunt Abderæ nobilis herbam,
Vt Venus indefessa adsit tentigine præsens,
Nec facilis desit faciles quæ promit amores,
Timagoræ memores sæuiq; Cupidinis arcus.
Aspicis hæc Iane & frontem non tangis utranq;.
Non prætextata hæc adeo tibi cuncta uidentur?
Sunt qui argumentis urgent, naturæ ita cordi
Esse, & perdices, cristatos deniq; gallos
Post alia adducunt stulti, peruerse & inepte,
Naturæ ignari, erroris caligine mersi.
Omniparentis enim mentem deprendere ne ipsi
Barbati potuere quidem noctesq; diesq;.
O non plus æquo scelera urant nobilitatem,
Qui soliti clauum sunt flectere puppis in altum.
Prætereo prudens, nam supprimere expedit ista
Obscæna auditu, nullis concessa tenebris.
Vranie mater miseras iam respice terras,
Tuq; Venus sancto contorquens uerbere cæston.
Missa e speluncis Alecto polluit æthram
Hanc nitidam, natura parens auertitur ora,
Iam despectando requiescunt sydera cursus,
Et retro sol flectit equos tenebrasq; minatur.
Quis modus est tandem, quo nequitia usq; feretur?

Lego Erebo Meropen, & turpi in crimine Lesbon,
Orphea dij perdant, Thamyrinq; & talia monstra
Non Anthedonij Glauci repetentur amores,
Aut pueri Idæi insimulet quis Nerea magnum?
Quis ue impune Iouem? quorũ furor est metuendus,
Vt Phœbum, Alcidenq; ingentia numina mittam,
Atq; illam turbam infamem turpemq; deorum
Lãpsacus & Cyprus & sãctos quos Thespiæ adorãt.
Quos bellos diuos stulta est uenerata uetustas.
Tuq; adeo hæc Paule ad Romanos percitus ira
Scribebas tristi calamo stygioq; ueneno.

IANI ANYSII SATYRARVM LIBER TERTIVS

IN PRINCIPES CHRISTIANOS.

AD LEONEM PONT. MAX.

Vis furor, o nostri Primates, quæ fera ferri
Vis agitat mentem? nescitis, quid rapida ira
Possit, quæ regna euertit populosq; feroces?
Quæ finis tandem? o, Nemesis ne excandeat ultrix.
In nos cornu acuunt Nilusq; Indusq;, minor pars
De tribus una Europa a fatis est data nobis,

Et nec tota quidem, nam pars pulcherrima sæuo
Arsacidæ domino seruit. nos ceu otium ab hoste
Sit, bella exercemus nostra in uiscera, ut olim
Fertur Agenoridæ gens dentibus orta draconis.
Ah, misera Europa, i lachrymas questusq; soluta est.
Nam quæ non mala bella hæc intestina sequuntur?
Primum, ubicunq; nitet, paulum, uictoria refert,
Nostrum est, effundi aspicimus quodcunq; cruoris.
Millia tercentum supra, capita, ante tyrannos
Sunt censa Aeneadum præclara ciuium in urbe,
Quæ belli est rabies, humani sanguinis & quæ
Imperiosa sitis, paulo post tertia tanto
Vix numero superat pars, horret mens meminisse.
Prætereo fidos socios, nomenq; latinum.
Illa adeo redysse reor fera tempora, quum tam
Romani imperium populi miserabile uisum est.
Quis non deformesq; fugas, stragesq; suorum,
Et res accisas, matrumq; ob pignora planctum
Abrepta ex ulnis miseretur? uirginibus quis
Et pueris adeo ingenuis, floriq; nitenti
Vim uulgo afferri ætatis, non hauriat udis
Luminibus? ferroq; igniq; excindier urbes,
Templa nefas uerti, simulacra, sacraria diuum
Sic conculcari pedibus non horreat? hi sunt
Atq; aly fructus belli. Tum squalida, tristis,
Dira fames sequitur semper comes, obsidione
Pressos, obsessoresq; una hæc sæpe peremit.

Vidi ego post fera bella affecta, per oppida nostra
Quæ Cereris sunt horrea, deficientibus herbis
Absumptisq; alijs rebus, miserabile uisu,
Grandæuosq; senes, lactantiq; ubere matres,
Et tristi uesci filice, grauibusq; cicutis.
Vi sueti mox extentos in sole iacere,
Tantum spirantes, ut phoca in littore sicco,
Cætera defunctos, tumefacto corpore & atro.
Hæc mora mortis erat, misera ac fœdissima uita.
Mitto esus spurcos, nam quid non cogit egestas?
Nec mora nec requies datur ulla malis, ruit ecce
Atra lues, funestisq; omnia mortibus opplet.
Hæc, ueluti, parua e scintilla maximus ignis
Fit, cœlo quum nigrantem uomit ore fauillam.
Principio serpit pestis, lateq; uagata
Omnia dat leto, alituum genus atq; ferarum,
Membra fluunt hominum, uiresq;, & tabe liquescũt.
Heu nobis miseris diffundit cuncta, malorum
Iupiter e cupis, dum odio certatur & ira.
Paucorum ergo odio, insontes tot, tartara adibunt?
Tendite uectigal Proceres auctare Charoni,
Ite, armis simul, infestis concurrite signis.
Hoccine fit Martis studio, & uirtute? maligni
An dea dira Erebi in tragica omnia uos mala ducit,
Vos, rabie cæcos diraq; libidine cædum?
Bebrycia an ne Amyci lauro tacti estis amici?
Vrget hic insidijs, furijs ardentibus ille,

Omniaq; ultor agit, promißis tu ne manebis?
Pacta obseruanto supremi Laomedontes.
Heus alter capra cui effulsit natalibus, omnis
Non temere res arridet commissa periclis,
Et uulpes cautrix capitur, datq; improba pœnas.
Suspecta est certe nimium fortuna secunda,
In tot, tanta bona est Macetæ uox illa Philippi.
Cum Samio duce rex Aegypti fœdera soluit.
Quis poßit uiuens certam spondere salutem
Ipse sibi, & patre se iactet summo Ioue natum?
Hippocoontæo cauit non uulnera bello
Amphitryoniadæ tum dextera nescia uinci.
Non magno redimat noster, cesisse uel omni
Iure suo? Italiæ pulchrum seruasset ocellum.
Ceu qui alta è specula uastum despectat hiatum
Caligante oculo, capitis uertigine, certa
Non cernit, uideo heu uideo grauiora, male Alpes
Peruiæ, ab externis tibi quam timeo o mea uirgo.
Nam quid prodigia? haud alias tot fulmina cœlo
Iupiter altitonans nostras deiecit in urbes.
Ex animo doleo, uotis diuosq; fatigo,
Integra adhuc res est, indultum satq; furori,
Sulphure quin agros, urbes lustratis & igni,
Mittitis inq; altum sordes cum carmine Auernum.
Quin iram ac cædem in communem uertitis hostem,
Barbara dum cæco exercet Pan corda flagello,
Et uere uerso trepidant Artaxata cornu.

Heu debellari potuit de finibus Afer
Atlantis uasti, & condentis cornua Nili,
Laneam ab his nostri parite insignemq; coronam,
Vt uos posteritas laudet, celebretq; canendo.
Defuncti bello hinc læti spolia ampla feretis.
Præbuit en frontem fortuna, astutia crimen
Dicetur, finemq; bonum incepta horrida habebunt.
Sæpe ego nostrorum regum, his & talibus aures
Pulsaui in cassum, nam si additus est notus Euro
Quum decimi tundunt reboantia littora fluctus,
Aeneæ quid agant uoces pro nauibus, æstu
In tantos? Sed si pelagi rex Ennosigæus
Ceruleis, uectus phocis caput efferat undis,
Protinus hi ponunt, tumidi & maris ira quiescit.
Tu pater, in tenebris ceu lux inopina refulgens
Quandoquidem exemplum uirtutum diceris esse
Atq; urbi atq; orbi fer opem, magnoq; tridente
Quassatam uentisq; undisq; attolle phaselum.
Non temere te alta in fastigia fata tulerunt.

AD PARTHENOPEN.

En quo nobilitas ualet, & tua bella iuuentus
Parthenope, induti mimos furialaq; ora
Vrbe uagantur lymphati, uelut acta furentum
Turba truci Bromio, sceleri neq; parcitur ulli.
Probrũ omni ætati ingeritur, spurcũ os graue uirus

Delectu effundit nullo, ac si Lyndia sacra
Amphitryoniadæ celebrent. manus inde rapinis
Ac stupris fœdatur. pro supreme deorum
Qui lemures, quæ dira licentia, quæ furiæ Orci
Nos inuaserunt. scelerumq; exterrita uultus
Subticuit lingua, atq; duces scelerum usq; feremus.
Quo penitus presso pulmone efferueat ira.
An calamo ulciscar? prorsum si Astræa recessit
In cœlum, aut alio, & uiduos nos diua reliquit.
An præstat remis, tantis inhibere procellis?

AD SIMONEM PORCIVM.

Cum laruis Porci si turpe capessere luctam,
Non est forsan inutile. Dic ergo mihi quæso
Græciæ & Italiæ Sol præclarißime Marce
Tulli, pace, bona & uenia tamen ante petita.
Timæus licet aßiduus, Samiusq; magister
Sit comes, & pariter pugnæ se audentius arment
Dic inquam, si sublimis si stellifer orbis
Reddat acutum, si Phœbe graue concinat ima,
Aut media astra itidem statuas, ut sit grauior Mars
Saturno, aut prorsus peruellas ordinem oportet.
Si duplex summo orbi est motus, rapidus acutus
Certe erit, at priuus tardißima tempora uersat.
Præterea si illa exoritur Symphonia ab ijsdem,

Nonne suis spatijs circi moueantur oportet?
Imparibus certe spatijs, at si tria, Solis
Mercurij & Veneris fuerint paria interualla,
Quis concentus erit, quæue inde proportio obibit?
Deniq; ab extremis, tenui meat apside Luna
Vt dupla harmoniam pariat plenā undiq; rhythmis,
Nempe quod est breuius, concentum reddit acutum.
Diuina humanis an diuersa usq; adeo sunt?
Quæ mōstra interpres affert dum hæc abdita pādit,
Sæpe acri morsu multari in pollice dignus
Spartani pueri, grandæuo urgente magistro.
Tum diuinum animum qui sese uerteret æquo
Contortu, medios insidere oportuit orbes,
Sicut araneolus medio se stamine librat
Singula prospectans commensis undiq; nodis.
De spatijs taceo, nostrum uicere supinum
Vt pote quæ ingenium, mensuras atq; tabellas,
Mitto illa & numeris & mensæ Pythagoreæ.
Sed quid de Lunæ maculis? an fratris opacant
Aduersi radij? resupinis uallibus ut fit,
Nempe, uicem si luna refert argentea terræ,
Vnde illæ sordes oriuntur & excrementa.
An ueluti speculum reddit telluris & umbram &
Purpurei Oceani procul excellentia dorsa?
Fabellis locus inuentus, dum occulta latet lux
Et causa in gremio rerum moderantis habenas.
Præterea quid sparsa sibi uelit orbita lactis?

Fundendis terræ sucis an condita cælo est?
An stellæ in causa insignes? an signifer orbis?
An Phaethon? quum combussit tecta aurea Olympi.
Quis latitant nebulis priscorum mystica uatum.
Quanto ille aptius ac melius, qui cernere nostra,
Nos iubet. æterni uideant sublimia diui, &
Qua ratione meent diuersis sydera circis,
Quæ certo ostendit radio Tonsillius, ac si
Concilio adfuerit magnorum cum Ioue diuum.
Derisus merito est alter, qui scriberet astra
In foueam præceps. Lepidum caput, inquiet alter
Tu ne audes summisq; uiris, rebusq; probatis
Secula per longa obijcere, ecquid tu melius das?
Nil inquam melius do, sed pretiosum adamanta
Atq; alioqui perrarum, tenuisue capillus
Sal ue perexiguus maculat, dignoscere nostrum est
Non tamen emendare, dei est laus undiq; plena.
Pittacus in uerbo est a uate Simonide captus,
Deberi a doctis id censet posteritati
Vir cæus, totoq; animo mendacia tollit.
At tu te nostro utinam, mea crimina noui
Tenuia, suffugiunt grauia, & latet abditus error,
Et quæ percepi uexantq; & sæpius angunt,
Et uideo, & labor prudens, est spes tamen omne
In melius uerti uitium, uirtute beata
Succedente loco. deprendit crimen amicus,
Emenda, ac pretium summum accepisse putato.

Ducere in opprobrium, irasci, defendere factum
Ingenij est praui, osoris rectiq; & honesti.
Ingenium uariũ est hominũ, at sors optima in his est
Quis uirtus rerumq; scientia, summa uoluptas,
Hos nulli affectus torquent, hi uera sequuntur
Diuina illa animæ flamma circumundiq; septi.
Proxima, qui expertes laudis, sectantur, amantq;
Insignes uirtute uiros, rerumq; peritos.
Vtraq; nimirum excelso sors grata tonanti.
Est detestanda illorum, qui quum artis honestæ
Sint ipsi exortes, doctos odere, malignos
Istos, ad ditem infernum manet horrida sedes.
At suprema miserrima, si quis cognita uirtus,
Arbitriumq; sequendi aufertur, numine iniquo,
Viq; repugnante acri, afflictanturq; relicta,
Et tædet uitæ, miseris quæ plurima mors est.
Hic, & apud Styga, perpetuum exercentur Erinny.

AD HIERONYMVM BORGIVM.

Tu Borgi nostram carpis persæpe Camœnam
Vt nimis agrestem, in moresq; hominum uehementẽ,
Maiori incensam cura, q̃ forte necesse est.
Ipse tibi inuideo tranquillam in pectore mentem
Hac tempestate importuna, hoc sydere tristi.
Quis stomacho inuicto hæc calamo patiatur inertis

Si non Virgilius pastor, seu rure colonus,
Siue inter Martis tolerauit prælia miles.
Non obiter Cicero, Crispusq; & Liuius, & qui
Naturam expreßit sublimi Plinius ore.
Per mores hominum hi plusquam Lucillius errant,
Proscindunt, lacerant, feriunt inter fugiendum,
Non secus ac Parthi, quorum metuenda sagittis
Sunt terga. atq; petunt letali uti cuspide nigræ
Dipsades, & cæco sannas in uulnere linquunt.
Stoicus est nullus te robore firmior, intus
Si nulla ambitio, nulla & latet abdita culpa.
Aut dulces elegos tractas, aut grande poema,
Sic tibi Nympharum, & captatur gratia regum.
Atq; ego, non duræ quia sum ceruicis, ita olim
Incepi, crebris stimulis impulsus amici.
Audiui è scopulo quondam Tritona canentem
Dum pecus Oceani, deformia monstra silerent
Cæruleæ phocæ, & suauiloquæ Sirenes.
Calliope aspira cœptis regina Heliconis.
O bellos bombos, uidisti in nubibus olim
Diuersas rerum facies concurrere, multa
Admirante manu puerorum. uis etiam arma
Dicam? quæ cecini, misere poscente tyranno.
Res bello gestas peragam, populosq; feroces
Qui in regna aduecti Italiæ, terraq; mariq;
Omnia miscuerunt armis sacra atq; profana.
Nunc Erato nunc diua animos, carmenq; ministra.

Defuncti bello ingentī spolia ampla ferentes
De Libyæ populis fortiſſima pectora Iberi
Parthenopen alacres repetunt, maioribus auſis
Intenti, aduerſum Gallos qui aduerſa tenerent
Pontificis. populi Italiæ diduntur in ambas
Partes, inq; ducum iurauit uerba iuuentus.
Nec mora longa, odij mole, immenſumq; furente
Ira, collato tandem pede cœpta geri eſt res.
Sed dum fortuna ancipiti certatur utrinq;
Te pauca admonitum cupio Borgi optime, nonne
Cenſes eſſe hoſtes grauiores, pectore in imo
Quum regnat domina blandiſſima, ſiue Voluptas
Siue Venus, regniq; auriq; inſana cupido,
Quæq; intus turbant uexantq; & pulchra uidentur?
Seu regnant alij affectus, rapidiq; Tyranni,
Fana quibus Sparte poſuit, lambitq; Lacæna?
Quæ tu bella putas miſceri cum Ratione
Defendente animi partes? Fortiſſimus ille
Occiſorq; hominum, indignum, mox uincitur ira,
Quum ui ductoris captiua abducta puella eſt.
Auſterumq; Catonem odij uis, gloriaq, uſſit,
Et Venus in uitæ ſupremo limine. iniquum,
Sæpe & Ariſtiden iuſtum, patriæ utile fecit.
Hic alioqui ſecum, ac deinceps duriter egit.
Pectoreq; & lingua præſtantē quum ornat Vlyſſem
Commendabilior nobis eſt uiſus Homerus
Quam quū pernicē pedibus cōtra Hectora Achillē.

Gratior hercle esset, si bella horrenda tulisset
Corporis, atq; animi, bella horrenda ac diuturna
Conflictu æterno nobis bellanda. Quid ad me
Hectora ne Aeacides superarit, an Hector Achillē.
Nec mora nec requies, instructo usq; agmine fortes
Bella cruenta cient hostes, Metus, Ira, Dolorq;,
In medijsq; opibus turpis rerum omnium Egestas,
Atq; Voluptatis conferta cohors & Amorum.
Stat contra Ratio, dux prudentissima, circum
Statq; inuicta phalanx uirtutū. haud tēpore sic dux
Militibus præsens præsentibus adfuit ullo.
Mox Soli rebus diuinis rite peractis
Lampas ubi ancipitis signum dedit ignea Martis,
Ecce ex aduerso, atq; animo, atq; manu dea prompta
Obtruncat spoliatq; Metum. Constantia fortem
Pulchrarum rerum laudisq; auidissima uirgo
Vt permisit equum in fugientis terga Doloris.
Tota in Auaritiam ingens diua hastile coruscans
Fulminis in morem irati Iouis æthere ab alto
Quod dextra in terras subiectas deijcit, illam
Deturbauit equo, labentem uita reliquit.
Blanda Pudicitiæ dextra est prostrata Voluptas.
Hæ grandes uoces & res quoq; grandior, hæc sunt
Grandiloquis aptanda modis. Echo ego inanem
Mitto alijs, rerum nugas, insomnia & umbras,
Qua natus Polynices, qua sit matre Eteocles?
Cissea num patrē referat Hecuba, an ne Dymanta?

Penelopen rediens an despectarit Vlysses?
Longius Aeneas patrio discesserit aruo?
Quo mater raptam resciuerit indice natam
Errabunda Ceres, & quas peragrauerit oras?
Quos uirgo flores Proserpina legerit Aetnae
Stellanti in gremio, quibus & comitata puellis?
Sub palma an sub oliua ortus sit Phoebus Apollo?
Et quicquid blaterant graeci clamore secundo.
Garrire impune est uerborum flumine inani,
An quia cornices nutrit non Attica tellus?
O quando censor praescripserit, haec rata sunto,
Illa mali uatis, temere dicta, ignis habeto.
Ne pudeat, sapitis recte quicunque, relicto
Seruitio, capite obtecto pone ire triumphum
Reginae inuictae, & pulchrae dominae Rationis.
Ob tot seruatos mihi quernas ferte coronas.
Haec ego dum scribo, o Anysi dixit Apollo
Borgius est iuuenis, ueniet quoque tempus, ubi ille
Audaci Sophia armatus, grauibusque camoenis
Diluet aegrotis animis absynthia, melle,
Per numerosque ibit matura in tempora uates.
Nonne dei fatis fandis par credere? certe.

AD IVLIVM PONT. MAX.

Iam pridem est animus Iuli, tua dicere facta
Grandi aliquo numero, sed daemon obstitit, ille

Qui cæco imperio nobis animoq; repugnat.
Virtus non facile occulitur quin luceat, uno
Ore omnes opus inceptum laudamus, abacta
Barbarie, pœna decima acceptisq; tyrannis,
Collapsam uitio æui te instaurare misellam
Italiam, hac eadem ingressi meruere deorum
In cœtum recipi Alcides, & filius Aethræ,
Et quos antiqui auguste ac sancte uenerantur.
Hæc te summa petit tantarum maxime, rerum.
Perge igitur, cepto insta operi, atq; obnixius urge,
Exilio reuoca insontes, sceptrisq; repone,
Redde uices alijs, pretiumq; suum omnibus esto.
Hoc pulchrum, hoc animi excelsi. Sed fallere sanctā
Ac uiolare fidem, regnis depellere auitis
Immeritas animas, in Tybrim mittere, ferro
Perdere, siue uenenis, omnia commodo auere
Metiriq; suo, est animi infracti, improbi, auari,
Estq; feræ trucis expertis linguæ ac rationis.
Hæc Themis ex alto torue despectat olympo.
Iustitiæ est ingens oculus, quiq; intus & extra
Omnia perspiciat. Pro diui, quæ bona secum
Fert uirtus, pretium & laudes benefacta sequuntur.
Vel quiuis uilis, mediastinusue subulcusue
Et prodesse potest olim, multumq; iuuare,
Auxilium tulit exiguus mus sæpe Leoni.
Seu clam siue palam quid fit, fraus omnis abesto.
Aut curui, aut recti exēplū ex summo ordine pēdet,

Quo rex,hoc eodem populus pede claudicat. ergo
Cur linguam plectis titubantem,plecte palatum,
Hanc caprificum altis radicibus erue prorsus,
Nam frustra, ut cernis,ramalia cædis,& omnis
Interea paries dissultat,& usq; fatiscit.
Sic ego peccantem moneo. tu cui data cura,
Compesce,obiurga,commissum & ouile coerce.
Huc neruos intende,& sulco scinde profundo
Tellurem duratam annis,muscoq; maligno.
Teq; ut Chirurgi faciunt compone ita,& illud
Quod docile est ulcus leuibus cura.aspera,cruda
Atq; cicatrici obluctantia tubera cautus
Dulcibus emolli interdum,interdũ exprime amaris
Indomitos ut equos duris contunde lupatis.
Iram comprimito,sedata agito omnia mente,
Deq; tuo semper,pro tempore iure remitte,
Iustitiam rigidam,clementi dilue succo.
Præpone externis spectatum rebus amicum.
Relligio atq; fides præstent,loca summa tenentes,
Nil etenim utile,quod sit idem nõ semper honestum.
Quid tu igitur,uigilasne pater? uigila,abijce & omnẽ
Caligantem animo nebulam tristisq; tenebras,
Quando humeris tanti sustentas pondera olympi.
Næ prouexit amor me longius,hæc ego condo
Pluribus,ac doceo sapientem. tu bono amori
Condona pater,ac supera factis mea dicta,
Pacata Italia,coniecto in uincla Gradiuo.

O mihi dent superi uesci uitalibus auris,
Formosa Italia lustrata sulphure & igni
Egregium ultorem (seu te tua Roma fouebit
Hostibus horrendum, pulchrum quam maxime amicis,
Seu uitæ expletis numeris remearis ad oras
Cœlestis patriæ) cantabo, posteraq; ætas
Admirata leget, celebrabitq; inclyta facta,
Quæ nec perstringat morsu cariosa uetustas.
Hoc animi, hoc uitæ, obscuræ sunt cætera mortis.
Hæc ego dum scribo rumor sese extulit, esse
In fatis, mortem tibi falce, extrema minari.
Pectore tu firmo uana hæc præsagia ride.
O prius hi pereant Mopsi, Heleniq; minaces.
Tu uiue ut mediam rumpat sese inuida turba.

AD LITAVICVM CASTELLIONEM IN LVSORES.

Amentes animi lusores, siccine tempus
Luditis & rem, damnati, addicti ita turpi
Atq; infelici studio, homines malenati!
Vt Lydos magni, inuentores, dij male perdant,
Quis quarta immissa est orbi immanissima Erynnys.
Hui nimis es durus bone uir, si quis tua uerba
Audiat, auersum prorsum non lusibus esse
Te putet! est aliter tamen, & te sæpe uidemus

Ludere, ludendo & prolixos condere soles.
At bene habet, decimã quærebam, perdidi, ut aiunt,
Sacrum. sed ueram tu aures adhibe ad rationem,
Si non mi is demum geritur mos, qui caprifico
Quæ prodest alijs tantum, sibi cruda & iniqua.
Temporis atq; æui ratio non una eademq;.
Tum diuersa domi atq; scholis sententia uitæ est.
Et nota sæpe uiros ussit fœdissima claros.
Scipiadæ ambitio nec amicis usq; pepercit,
Nec uulgo patres passa est spectare theatro,
Barba animi index detonsa accuratius æquo est.
Sæpe & Aristiden summouit commodum honesto.
Magnarum hi uirtutum alioqui exempla fuere.
Sed redeo. natura parens genus omne animantum
Iucundos docuit lusus, prudens quia mater
Sic esse e re, sic & censuit esse necesse
Causa animi, sanguis bilem ut contunderet atram,
Quando ea dispositа intus sunt nobis elementa.
Nonne uides propter Clanium per florida prata
Vt miscent saltus, hilares, capita inflectentes
Cum tremulo hinnitu pulli pulcherrimi equarum,
Quin saliunt alacres, tetigere & uix pede terram
Exorti, auspicijs lætis uitamq; capessunt.
Sic faciunt inter distentas ubera matres
Immundiq; sues, agniq; hœdiq; petulci.
Quodq; magis mirum ludentes sæpe dracones
Spectantur, leporesq; impune per ora leonum

Currere. colludunt pisces sub gurgite ponti,
Et per inane altum, aligerum genus omne uolucrũ.
Ludo equidem fateor, uerum quum linea ducta est,
Et cessare datur, mihi quin opus est ita facto,
Quando me tali ingenio genuere parentes,
Nec dum adeo uenæ gelida coiere senecta.
Non uitio hoc facio. neq; tam est uitiosa uoluptas
Quæ non uirtutis nomen laudemq; reportet,
Nempe loco. haud nouit fines excedere uirtus.
Lampsacum Anaxagoræ exequiæ sic exhilarabãt.
Sæpe trocho nucibusq; graues lusere Catones.
Et Latro miris quem Annæus laudibus effert
Tam fuit in lusus tranquilla per otia pronus,
Nam Mæcenates mitto, atq; alios quoq; claros.
Non aliter pueris Saturni luce celebri
Ludere seu nucibus, seu proiectare nomisma
In caput aut nauim, digitisue micare, seueri
Indulgent patrui. quis abhorret ineptus habetur
Ille mihi agrestisq; animi tetrici atq; maligni,
Pro quo lætitiæ, atq; camœnis sedula nutrix
Rem sacram faciat, tristem auertatq; rigorem.
Segnem desidiam pepulerunt calculi Achiuis
Dum Phrygiam ad Troiam lenta obsidione sedetur.
Scis quibus est uitio? puero nimirum Hyacintho
Qui ludit uigil, atq; in somnis, qui prius orto
Sole ad lusores pergit, rumore sinistro
Sæpe pudicitiæ. Bouio, ex pastoribus uni

Petri, & nec tali è manibus noctesq; diesq;
Mittuntur. Thynno nostro, qui hoc perditus æui
Quod reliquum est lucis ludendo absumit, & ingens
Aes alienum contraxit, nec Tessera fauit
Quanuis sæpe Midam uotis Veneremq; uocarit.
Si canis est iactus, cœlo pia lumina torquet
Exclamans, rauco responsat gutture ramex.
Nonne senex pueri est dignus bullaq; trochoq;?
Deniq; quiq; suis corrasis rebus, auari
Iniciunt oculosq; manusq; in, Milui aliena.
Cos hominũ est lusus, magnũq; animi argumentum,
Hunc laudo. ast illum proscindo crimine, quando
Improbus & rerum iacturam, & temporis affert,
Horribiliq; deum pia numina uoce lacessit
Quæ cœlum æratum feriat, penetretq; in olympum.
Sed de his hactenus, ut non sim prolixior æquo,
Lecheti & uidear peram expilasse diserti.
Tu referes æquam ad libram Castellio amice.

AD IOANNEM BAPTISTAM SPINELLVM.

Post mortem nihil est certi, quo uita recedat.
Ergo, si sapitis mortales uiuite læti,
Et legite hos fructus quos fert natura fruendos,
Funera nec curate, aut quæ post funera si tam
Ad nos hæc spectant, q̃ quæ ante exordia uitæ.

Sit quanuis causæ iactura haud friuola, cedo
Tandem, recta Epicuri sit sententia, missa
Sitq; etiam Genesis, Luna & uicesima. uerum
Quid sit, peruestigandum est hoc uiuere lætum.
Ingenij huc par est omnes intendere neruos,
Hoc opus, hic labor est. cedo sit summa uoluptas,
Sit summumq; bonum, felix sit maxime & ille
Qui penitus rabiem exturbarit mente, doloris.
Talis num meretrix Lauræ est? bella ista dolorem
Non aliqua admittit, luxu fluit undiq;, magnos
Palpat amatores, parto ditissima, uerrit
Murenas, gemmasq; solo, summatibus ulcus
Quod refricet, bilem moueatq; potentibus atram
Matronis. Bouius, Thynnus posuere fritillum
Vitam felicem, ac fortunam, tergemini ossis.
Tum si supremo reperitur limite uitæ,
Vt Iuno & Phœbus testantur numina prisca
Quum pueri æternos edormiuere sopores,
Quanto olim iuuenis felicior ille putetur,
Non ab re fuerit narrare nepotibus, id quod
Nostra ætas uidit, suppresso at nomine dicam.
Matronam insignem diuturno ardebat amore
Egregius iuuenis, nostroq; ex ordine, quum spe
Iam deplorata, ecce ancilla ad uesperis ortum
Matronæ uerbis iuuenem accersit, nihil ille
Cunctatur, siquidem carpturus poma cupita.
Quæ sæua est fortunæ iniuria, luce celebri

Baptistæ, quæ illam noctem præcesserat atram
Diffiderat uenam de more misellus, ibi inter
Fasciola excussa est luctas & prælia amoris.
Excepit tum delitias sopor altus, & illi
Perpetuus, sensim effluxit cum sanguine uita
Corpus in amplexu dilectæ læta relinquens.
Vis dicam, quorum est opibus saturata libido?
Commoda subducas, eademq; incommoda lance,
Res bella est certe, quæ animus cupit omnia dictum
Factum, explere aut imperio, aut arca omnipotenti,
Iupiter ipse, petas, ueniet, cœlumq; patebit.
At rem si inspicias, non est tam bella, cupiti
Gratia fit dulcis multo quæsita labore,
Quod uetitũ est, Venerẽ atq; altum succẽdit amorẽ.
At contra, satias capiat, sint si omnia prompta
Ac, ueluti uernæ exposita. Atqui huc adde, molesti
Quod sequitur, circum fert colla Alypius auri
Plus septem pondo, uestes non altius unguem
Latum, tollat humo miles nouus Oscus Amillus.
Ditior est multo Angellus. narrare seueris
Fabellam libuit, ne prorsus tempora propter
Tristia, Cecropias credant me odisse salinas,
Vnde licet nobis non nil haurire leporis,
Tristibus & Satyræ interdum miscere uenenis,
Id quod fecit Horatius, & Lucillius ante.
Sed multum differre uides hæc tempora ab illis,
O tantum in mores scribendum, nec mala nobis

Tot formis impenderent horrentia miris,
Non facile est semper premere altum corde dolorē.
Sed redeo. Angellus, soboles telluris & Iro
Pauperior, cui uiuit adhuc edentula mula,
Et superest, atauo quondam donata lacerna,
Tenuibus hic habitat laribus, sub fornice, sacris
Torribus inscripto, spurco tamen & graueolenti,
Est mihi uicinus, noui hunc me ualdius ipso,
Saepe uir inclytus iste aequo plus esurit, atq;
Se dicit coenasse domi, atq; in Apolline magnum
Pompeium accepisse. huius persaepe misertum est
Caenatum adduco mecum, rabidis tribus ursis
Suffectura uorat, uentrem admonet atq; futuri,
Adducuntq; alij, quis nota est gloria tanti
Militis, hic omnes Reges appellat alumnos,
Seq; suosq; refert Troiano sanguine cretos,
Hic tot confecit bella, unus millia contra
Victor saepe fuit, multa hinc sibi parta talenta
Esse domi iactat, fumos depascitur istos
Contentusq; bilarisq;, ac si haec sint omnia uera,
Seq; ipsum fallit tam suauiter. Attamen est si
Illud opinari sententia uera, diserti
Vt posuere uiri, quanto hic est ditior illo
Inflato Alipbto, quem paulo diximus ante.
Reuera Angello nihil est, putat, attamen esse,
Et fruitur tot fortunis formidine nulla
Iacturae, nulla cura, nulloq; labore,

Et fruitur dulci errore, at nec inutilis error,
Dum tam largus opum, medio nat gurgite rerum.
Non Venus hunc frangit, non luxus collabefactat.
Nanq;, ubi stilla frequens capitis: nodosa podagra:
Calculus: hisce in diuitijs, toto egerit anno
Ter quater Angellus, quia non est, at putat esse.
Non grauat hunc triplex, non frigerat aurea uestis
Per brumam, pendet collo non illa catena,
Quę haud mercede bona sine, maurus baiulet Achthō
At paris incedit, uultu & gerit Hectora atroci.
Nempe quod est, & quod non est, itidē esse, probarit
Si Abderæ ciuis, noster præponderet asse,
Ipso etiam Chrysippo fortunatior, ille
Forte aliter sentire ac dicere, noster ut altis
Pallidus ē templi solijs qui mira popello,
Quum supra impluuiū nō credat, Monychus affert.
Vis, quorū ambitio est uehemēs, & quis labor omnis
Fit facilis, regno dum aspirant, summo & honori.
Vis alios tibi de genere hoc, quotcunq; libebit?
Est eadem ratio, non est potis esse uoluptas
Tam solida in turpi capite, & sapientior æquo
Ni, sum, damno equidem, qui dixit ad infera regna
Heroas magnos maneant & crapulæ, & omnes
Deniq; deliciæ, & felix cui Sylla uidetur,
Ille mihi miser est, & Sylla miserrimus, ille
Sit felix, quem intemperies mala distinet intus?
Qui modo tantopere quod amebat, uertit & odit,

Vsq; sibi infestus, uarius, diuersus & impar,
Hocce erit officium domini quæso an mage serui?
Quo poterit pacto dici Venus ista, uoluptas,
Infamis teneriq; dei mollissima mater?
Non condire cocos ait ille, amor omnia condit,
Aufugit mi animus, credo ut solet, ad Theotimum.
Quam pudet, huc hominē descēdere captū ab amore.
Fœmellæ imperio Alciden summittere clauam.
Tuq; beate Lucreti, qui fers uerba magistri,
Posse uoluptatem in luxu reperirier ullam?
Non sine uirtute inquitis, atqui funditus omnem
Virtutem ruitis, luxum ni expellitis omnem,
Dissidet haud aliter nigro album, nube serenum.
Nonne tenes quæso, ad ditem quæcunq; poetæ
Finxerunt, Erebiq; canem, manesq; tremendos
Hæc miseris mortalibus in uita omnia adesse?
Quandoquidem nobis tantarum pectore in imo
Conscia mens fraudum facibus furialibus ardet,
Perturbatū animū esse orcū, atq; Acherusia regna.
Viscera quid Tityi rediuiua, quid esse uolucrem
Rimantem rostro, æternum dum immania membra
Sternitur infelix spatiosa in iugera uinctus,
Quid nisi amatores, cæcoq; cupidine rerum
Enectos homines? Et edacem in pectore curam
Esse aquilā, quæ animū lacerat, rescindit & exest?
Quæ iactant homines tumefacti gloria inani.
Queq; fide fluxa effundunt quæ credere non est.

Et quæ proiectant serpentibus illita setris,
Est rota sub Styge ob insignes Ixionis ausus
Suppositam nubem, quum pro Iunone petiuit,
Centauri unde orti sunt monstra immania terris.
Nonne leue ob uerbum sæpe horrida deflagrarunt
Bella, tot urbes, tot populos quæ hausere potentes?
Sisyphus ingentem scopulum & in edita montis
Nixando trudit, labor est insanus honorum,
In caput ambitio casura suum improba Siren.
Quæ capiti illa silex iam iam imminet, & sitis illa
Atq; fames, latices inter, mensasq; opulentas,
Rei timor est partæ & semper sitis anxia habendi,
Quæ mage solicitat, quàm impendens Hernia rupes.
Pertusis urnis undas haurire puellæ
Deniq; contendunt casso uanoq; labore,
Nec uitæ explentur desideria, illius, arcte
Qui nimis illecebris mortituri corporis hæret,
En quanti tandem mortalis, gloria nostra est.
Ergo animo tantum in diuo statuatur oportet
Alma uoluptas, dia uoluptas, quandoquidem ista
Quæ titillando sensus capit improba, habetur
Tanto illa inferior, quanto mortale, caducum
Aeterno inferius. nulla his commercia, si ipsum
Assequor ingenio uerum, intercedere possunt,
Stoa & Academia, uestra & cum pace Lycium
Hunc non erranti inuenistis pectore finem.
Purum, putum animum, fece excocta, uelut aurum,

Non Elephas Pyrrhi, non cœli fulgura, sæui
Non maris ira furens, non deniq; terret imago
Quæ nostrum arbitrium superat, qua cote probantur
Aegri animi uitia, & fortunæ semper aperti
Ictibus. his medicus Christus pulchre obuius iuit,
Hic uitia igne domans, animum pulchre stabiliuit.
Pugnæ gigantum, brutum est corpus quum rationem
Impugnat. quis profligatis, inclyta uirgo
Cum Ioue magnanimo dissringunt tartara sæua.
Et contra, temere affligi mens plumbea censet
Istorum, Christi famulos, per claustra retentos,
Per syluas desertas, per spelæa ferarum.
Si nihil extra hæc est uitæ, quid stultius ille
Pauper eremita hic ieiunia tristia perfert,
Nudus agit, patiturq; libens solemq; niuemq;,
Pernegat atq; oculis somnum, corpusq; fatigat
Omni opera studioq;, ut menti liberius sit,
Vtq; animum emittat cœli intima contemplatum,
Quo tandem sperat cœno hoc euadere posse.
Lætitia hac solida, diuino munere, onustus,
Se fruitur, scipso gaudet. dura illa uidentur
Dulcia, amœna, modis miris mulcentia prorsus
Mentem animi. Corrumpantur licet omnia morte,
Quod secus esse, uel hac una ratione patebit.
Corpus quando anima ornat uita, corpore certe
Est prior, ipsa hostis tenebrosæ mortis & expers,
Quis neget illa animi miro feruore uoluptas

Quod magè delectet, sublimi prædita sorte,
Atq; humilem terram, & sensus despectet inertes.
At tacet, ut coluber demulctus carmine, rictu
Porrecto, summisso oculo, pallore suborto,
Vix dixit trepidans, abstrusa latere profundo
Vera, Epicurus. at exultans ego uictor abiui.
Acceptum hoc refero, summo Spinelle tonanti
Christo, clementi domino, patriq; benigno,
Cuius norma nitet, radij ceu Solis, & omne
Dispulit ambiguum, & terris patefecit olympum.

AD IANVM PARRHASIVM.

Parrhasium ad Sylan, Oenotriaq; arua latentem
Proceras inter Piceas Pinusq;, Papyre
I mea, conuenias, compella nomine claro.
Exibit, cauea ut tonitru somno excitus ursus.
Tu, ne formida, nihil illo est mitius, illo
Turpi in corpore mens habitat pulcherrima. nũquid
Vis? referet. nostram tu, multam ferre salutem.
Parrhasi um ne illum præclari nominis? illum
Ipsum inquam. tenebris uitio quo delitet? atqui
Hoc uno est sapiens mecum sentitq;, per Ibin
Iuro ego, perq; canem condentis cornua Nili,
Perq; deum capite Accipitris qui cuncta tuetur.

Non diræ hunc adigunt matris, colere auia, nō hunc
Nati error tristem duros detrusit in agros,
More aut lapparum florem tegit intus & abdit.
Sed de consilio, syncera & mente reliquit,
Quod faciunt pleriq; omnes seruire Tyrannis,
Secessitq; in rura paterna uolensq; libensq;,
Se fruiturq; ipso, hic studio acquisita peregre,
Ruminat excoctumq; aliquid pulchrumq; datura,
Quod possit facile madidos redolere lupinos,
Atq; animum nitidis sapientem ostendere uerbis.
Fare uicem nostram, audacter sic incipe. quanquam
Te socij accusant ignauiæ inertis, & otij
Obscuri grauiter, contra, laudaris ab ipso
Te, paucisq; alys, quis cura est quærere uerum,
Præ quo despectant, quæ alijs præclara uidentur,
Vastas diuitias, Macetarum culmina regum.
Est operæpretium, socios audire, gerant quid
Rerum. quod catuli ad nutum domini, aure asinina
Si excandet dominus, mox blandiri hilarato,
Et nil non agere indigni. decerpitur annis
Flos teneris, & postquam mascula ut Venus omnis
Per numeros, aliquo adlegantur, nempe petitum
Scorti aliquid maris, aut aliud quod deniq; turpe.
Infandumq; sit. à patinis mensisq; Nepotum
Discedunt ægre, obsequio gens nata, Tyrannis
Sic parasitantur. uerum census oriuntur

Hinc, & opes, capiti insignes Tyrijq; Tiaræ.
Inde uices reddunt, alijsq; accepta reponunt,
Lex ut Aristophanis largissima sancit amorum,
Haud nimis est curæ proles. ardentibus aris
Iunices nitidæ Genio nitidiq; iuuenci
Mactantur, refertq; parum sine semine si arua
Et fructu pereunt, modo sit saturata libido,
Lubrica fossa, altus gurges, barathrumq; profundũ.
Qua lege est cautum: prudentis nempe Draconis.
Illo impostore, & sugillatore poeta
Nitũtur quo autore graui: heu scelera. Atq; etiã audi
De domino. postq̃ senio languet Venus, omnis
Sensusq; ægrescit, porro est animæ male, semper
Corpore sub domino ut sit quæ ancillata, misella
Caligat senioq; suo, morboq;, cupitq;
Nescit quæ, & stomachatur & odit. multa querela
Hinc illa. heu quo abystis uires, quo illa iuuenta,
Ille color, nitidi dentes, oculiq; uenusti:
Atq; alia ex animo deiecto. cura sepulchri
Mox subit, & loca magnifica, spatiosa & aperta
Quærit, ne tenebræ officiant, ac si tumulanda
Vna anima esset, suffocareturq; loco arcto,
Quæ tenuit cura atq; adeo dementia Chemmin
Chemmin Niligenam dum ætatem exercet opellas
Molibus attollendis Arrabicisq; columnis.
Forte illi est melius, si populus integat umbra,
Aut Phœbi laurus, Veneri aut gratissima myrtus.

Vsq; adeo affectus dominantur, quos adamarunt
Tantopere in uita miseri. consuescere pulchrum est
De teneris annis, istis indicere bellum
Hostibus, & non morosæ indulgere parenti,
Qua duce norunt, siue cocos, seu uis mage cocos,
Totq; uoluptatum conferta examina. non ne
Credendum? in pelago iactari urbes, ubi pluris
Pisciculus, quam bos uel cum ipso uomere uenit,
Pluris persona, quam ancilla casaria frugi,
Pluris pagellæ lusorum, quam liber Actij
Synceri, quamuis libella ueneat aurea.
Quid si iudicio sistat cocus ante tribunal
Miscentem medicum tristes acresq; sapores,
Atq; suam clamet uiolari his tristibus artem
Atq; siti atq; fame? medicus contra, esse saluti
Reclamet, testesq; ferat? damnabitur istis
Iudicibus, cocus in summos ascendet honores.
Ridiculum certe est hominũ genus alterũ & illud,
Est anus, unde domi, mihi, quæ duo secla peregit
Nestoris antiqui, iam tertia uiuitur ætas,
Hæc nescit bene dicere, diffluit undiq; rixis,
Prouocat infestas muscas, pugnaq; lacessit.
Hoc uero egregia est, lucem optat, si fuerit nox,
Inq; die noctem. calor est, iam frigora uotis
Poscit, mox nimbũ icrepat, & mala frigora brumæ.
Lõge alia estq; domi atq; foris, uaria & sibi discors,
Mane forum adueniens odit quæ pridie auebat.

Itur ita ad mortem nulla dulcedine uitæ,
Atq; adeo uitæ & mortis discrimine nullo.
Fertur ad Aethiopas gens solis sydere tosta,
Qua feruet cancer, minitantiaq; ora leonis
Scintillant flammis, & terras ignibus urunt,
Viuere damnatam uitam, de more ferarum
Fonte procul, procul umbra, piscibus & locustis,
Nam Cererē neq; fama, aut Bacchū nomine norūt.
Hæc fato patria est miseris data, squalida arenis,
Multis fœta malis, hinc illi uoce maligna
Bis die astrum execrari oriensq; cadensq;.
Forte his ignoscendum, culpa leuißima certe est
Si ad nostram spectes Hecubam, secat omnia lingua,
Lingua audax, lingua impia, de cœno & Stygе nata.
O si possemus sine seruitijs agere æuum
Et sine fœmineis operis, quæ nostra beata
Vita foret? rixisq; procul bellisq; cruentis.
Quid de alio genere infelici? sunt homines, qui
Vsq; adeo mortem formidant, ut metu iniquo
Pallentes (ceu qui uentis iactantur & undis
Iam iam formidant salsum potum ire liquorem,
Atq; omnis capiti decima imminet unda) misellam
Vitam traducant, bilis mortem obijcit atra
Omni in processu uitæ tristiq; bilariq;,
Nam domina imperiosa potensq; in pectore nostro
Imperat imperio graui opinio, falsaq; imago.
Cum fletu Xerxes, specula despexit ab alta

Castra sua, Europæ in campos Asiamq; coactam,
Quid strauisse mare, & per montes nasse, quid orbē
Vincere, si paulo post nobis est moriendum?
Ille alter semper flebat. sententia prorsus
Praua est, non nasci satius mortalibus esse.
Sunt hebeti ingenio ac nullo, portentaq; uitæ.
His ego. (nam miles naturæ interritus adsum)
Num temere quicq̃ potuit dea magna creare?
Atqui perpulchrū ac proprium cognoscere nostrū est
Omnipotentis opus reginę, si data nobis
Præfulgens anima, & cui sit cœlestis origo.
Est animæ proprium, brutæ contemnere morbos
Telluris, cœlumq; ipsum sublime uidere,
Cætera terra sumus, brutis, pro numina diuum,
Omnia persimiles. animi est hæc optio, in his an
Illis partibus esse uelit, nam secta bicornis
Est uia, & arbitrium datur utra incedere malit,
Ante labor durus, q̃ uirtus nobilis orta est.
Accusant homines falso, nec iure queruntur
De genere humano, q̃ ineuitabile fatum
Omnia conficiat. si tu te noueris ipsum
Absistas queri, & in cœlum, noctesq; diesq;
Intendas duplices palmas cum uoce remissa.
Gratia quæ par, quod simus tibi proxima nacti
Rex superum? terris despectis regiam Olympi
Contemplor. solue hoc corpus pater optime. quand
Optatam faciem propius patris ipse uidebo?

Impia progenies hominum nos carcere tetro
(Nanq; hæc sunt Circes ululãtum claustra ferarũ)
Vitam protrahimus, tot morbis, criminibusq;
Damnatam. Et si det deus, immortalis ita esse,
Quin etiam ꝗuis animoq; & corpore præstes,
Viribus insignis, sanusq; magis caprifico,
An uelles? animus, misere quum hæc ominor, horret.
Quid si Praxiteles, insigne aut Cous Apelles
Ponat opus, crassumq; neget spectacula uelum,
Nonne aspectandi teneat te insana cupido?
Sitq; odio atq; iræ tensum oppositumq; cadurcum?
Mors quam adeo censes tristẽ, pulcherrima rerũ est,
Panditur hac duce lux oculis uelamine dempto,
Offerturq; animo consumatum undiq; pulchrum,
Hac monstrante uiam, patet aurea regia Olympi.
Cum domino studuisse fugæ, capto ante, ad Iberos
Nuper obit mortem conuictus Coppula, firmo
Vultu, in regem ut Anaxarchus, lætusq; supinas
Linquebat terras cœli inflammatus amore.
Hoc homini tantum datur (expleri nequeo ipse
Dicere) stelligerum e terris inscendere cœlum
Remigijs animi. communia cætera nobis
Cunq; alijs animantibus omnibus, arboribusq;,
Et reliquis sunt de genere hoc quæ cernere uulgo est
Composita ex elementis, quæ infra sidere Lunam,
Nam pigrum ante chaos residebat inertibus undis,
Ingenitum at munus motu orto cuncta obiere,

Se locus explicuit, rapuit fuga percita tempus.
Mundi orbes rapidi æterna uertigine, cogunt.
Certa sua est cunctis sedes data, Iupiter autor
Munera præscribens, motus fert, tempora & ortus.
Vere nouo partu fœcundo temporis, annus
Exoritur. feruent uires æstate, iuuentæ.
Torpent decrepito autumno, bruma emoriuntur.
Mane nouo risere rosæ tam suauiter, æuum est
Vna dies, sub Lucifero necat Hesperus ortas.
Si hæ possent fari, anteactis tot milibus annis
Næ merito numero innumero interijsse querantur.
Contra, si detur, quibus est æterna, fateri,
Pax data. uos uestras gerite & sufferte uicissim
Excubias uitæ, nobis iam munere diuum
Parta quies, licet æternum dormire soporem.
Tantum homines uitæ & mortis tædetq; pigetq;.
Defleat illa adeo lamenta, miserrima turba,
Turba quidem, quamuis aurato uellere pulchri
Incedant, hominum nati opprobrium, exitiumq;,
Attamen horribiles pœnas sub cæca daturi
Tartara, quum premet hos densis nox atra tenebris.
Ille deo summo contra gratissimus ortus
Sit terris Curio similis magnoue Camillo,
Non sibi commodior quam alijs mortalibus ortus.
Nonne uides quæ fama ferat super æthera notos
Theseaq; Alcidenq; ingentem & castora diuum?
Non hæc ex animo nostro commenta reare,

Nec nostro deprompta penu dicta aurea credas,
Fatidicæ inuenies scripta in libro Diotimæ.
Sed missa hæc faciamus. Parrhasi amice libenter
Scitarer, quid agunt studia, & quid forcipe uersas
Ad solidam incudem? uerum, si flumina prona
Ecquid agant, rogitem, non respondere putabis
Mi Crathin? fatue, ecquid ago? fluo & exequor omni
Ingenio, munus bona mandat quod mihi mater.
Non leue tu uersas animo, inuitasq; Camœnas
Ad syluas. nemorum dij percoluere poetas
Sæpe pios, Pan magnus, cum Satyris & Nymphis.
Pindaricæ studiosus Pan citharæ deus olim
Visus sæpe fuit, lætas agitare choreas
Suauisonos numeros fidibus modulante poeta.
Hæ latebræ sunt & dulces persæpe & amœnæ
Ornatusq; addunt Hermasq; parietibus altis
Ac solidis, quales longum non obterat æuum.
Tunc minus es solus, quum solus. quid sapienti
Exilium noceat, uel solas inter arenas,
Antipodumue plagas? uideo hæc exempla, proboq;
In Soderino Thomisio, hic ob benefacta
Ad nostras oras (ingrata Fluentia certe es)
Quum exulet indignũ, absq; tribu, sine iure domoq;,
Præclaram patriam, dulcissima pignora, amicos,
Dilectam uxorem, tot opes, queriturne relicta?
Statq; animo, & ridet fortunæ fulmina sæuæ.
Sic & Aristides, sedato animo atq; benigno

Decesſit patria. Imperio. Lucullus abiuit.
Deteſtor uoces ac uota minacis Achillis,
Ob leue peccatum, Graijs quum dira precatur.
Et ſunt, qui Phœbo certent præponere Martem.
Si me forte roges, quid agam, ſcribo, atq; ita multa
Aduerſa ulciſcor Satyris mordacibus, illas
Vindictæ in partem aſcitas impertio amicis.
Multa alia ad multos ſcribo, diſcrimine nullo
Qui ſint, & ſunt qui Phœbum neq; nomine norunt
Primores homines & ſceptra ſuperba tenentes,
Audio ego haud belle tanq̃ aſſentator, adulans.
Quin nos proſpicimus nobis & commodum amicis.
Placamusq; Erebi bis ſacris lychnisq; tyrannum.
Haud minus atq; Ioui incendat quiſquis ſapit, ipſi.
Et ſunt qui nocuere, mihi perſæpe moleſti,
Perfidiæ eſt teſtis Parnaſi nobilis arbos,
Suntq; ipſæ fidei uiolatæ maxime, Athenæ.
Non Paphiæ Veneris magis eſt ingrata uolucris
Illo infelici monſtro ac fœdo Crocodilo.
Quæ ſcribit nemo leget, illita uerba uenenis,
Ius olidum, & ſapiunt pædorem fornicis atri.
Nil illo immmundo & graueolenti eſt triſtius ore,
Oſtendit Myrtus temeraria tempora cingens.
Lego Erebo ſcelera immanis turpiſsima monſtri.
Quid ſi iſtos recinam, ut non poſtera neſciat ætas?
Oblongiſq; notis inſignia nomina inuram?
Sic nobis, ſic chartis, ſic illudimus iſtis,

Tempora sic fallo, & gliscentem in corde dolorem.
Dum tragicam rabiem & sæuos cohibemus iambos.
Hoc mea ne ipse quidem persæpe intelligo, haberi
Quanquam diuinus posit furor, indigeantq;
Delio aquæ nostræ illo nandi apprima perito.
Conscia sed recti prauiq; agnouerit hæc mens.
Nos adeo inuiti ad graphium descendimus istud,
Spongia naturam non ars persæpe secuta est.
Quis non his tabulis dubia depingitur umbra
Commeritus? quis non hyali ridente colore
Insigni uirtute uir & spectatus amicus?
Te ne ego prætercam, cui Musæ *tempora circum*
Iusserunt hederas, & amicas serpere lauros?
Quod data ad indignos scriptorum multa meorum,
Quodq; relata mihi non digna est gratia, nullam
Dicere religio est, o tristia tempora nostra,
Tam pauci Archimeli, *tam nulli sunt* Hierones,
Quandoquidē obtrectat, nosti, cui in dēte uenenū est,
Quem niger excruciat liuor pallensq; simultas,
Et uenalia cui sunt ingenium atq; Camœnæ,
Crura animumq; satis iam curuus Vacia *notus,*
Notior at saxo sit, si ille lacessere pergat,
Prouocat ad pugnam semisis homo Polyphemum,
Aucupium hoc famæ an constet magno? experietur,
Auribus hanc æquis liceat mihi, dicere causam.
Esse aliquæ extremos gentes perhibentur ad Indos
Quarum sit studium, gemmas perquirere & aurum

Vt mox infodiant terræ, immergantq; profundum
In mare, nam lucro apponunt has perdere pestes,
Si quis ad has gentes, gemmas & conferat aurum
Ceu munus pretiosum, nonne insanus abunde
Sit? me etiam posses censere hoc ordine, si mi
Non hæc & Musis cecinissem, materiam illi
Præbuerunt certe, sed nostra est tota uoluptas.
Quid facerem, dignos genuerunt tempora nostra
Perpaucos, adeo quos Iupiter æquus amauit.

AD ALEXANDRVM ARGVLVM.

Argule, pulchrorum studiorum candide censor
Quando ad nos peregre post tẽpora lõga profectus,
Pristinæ amicitiæ memor, officiose & amice
Me, quid agam? rogitas, ego ceu si quæstor ab Indis
Aduenıam Romam, plebis clamante tribuno
Et repetundarum suspectus postuler, omnem
Accingor rerum rationem reddere, quantum
Acceptum, expensumq; sit, & prouincia quantum
Profuit ad summam, sic me paro & omnia promam.
Principio, ut solitis patriysq; in uestibus hilum
Non immutatum me offendis. sic studia esse
Et mores cense, idem sum, qui ante esse solebam,
Dempto, quod potuit fluere, atq; è corpore abire,
Vt lex est rerum, quando cogitq; premitq;.

Vis dura occulto nisu, molimine cæco.
Et studia, & mores repetam. cupio tua amussi
Dirigere, obliqui si quid fortasse resultet.
Noctu, ubi sat somno indultum, suadente cubili
Consilijs socio, quum tempus molle, sopore
Quum rigat ignauos nox, impellentibus horis
Solis anhelantes quæ curant quadrupedantes,
Tunc animi læta arua colo, atq; exerceo, & auri
Linquo alijs curas, & letiferæ ambitionis,
Hæc amo & obseruo, nihil inuideo sua auaris,
Immo aliena, alijs quia uiuunt dum sibi parcunt.
Nam quis progressum in studijs faciat, sine amore?
Nox silet, illa quies aperit cordi omnia cæca,
Secretasq; uias, arcana ac mystica rerum,
Et quæ, post mirer manasse è pectore nostro.
Si sit opus libris, nihil obstat, ponè caput stat
Capsula cum silice & ferro, & cum fomite sicco,
Ilicet excusa scintilla, accensa lucerna est,
Ad libros curro. quid pluribus immoror, illa
Sit lux atra mihi, qua nulla est linea ducta,
Et qua non aliquid licuit subscripse libello,
Tunc iucunda magis, redolent quum nostra lucernā,
Proficimus, lecto aut scripto. nitet aurea quum lux,
Mox aliud studium matutina admonet hora.
Sed prius exonero uentrem, sed non sine libro,
Nanq; loco est illi sua lectio amica Camœnis.
Sunt quibus hæc sint ludibrio, & q dicere aperte

Putidula ausim uerba, & quæ haud tellure recedit,
Deterius facere est, quæ & fando respuat auris,
Qui me deridet, caudam trahit absq; pudore.
Iam dicam tecum post. da nunc nuda & aperta
Simplicitate loqui. redeo. quum lassus abunde
Sum, stupor inuasitq; in crura pedesq; sedendo,
Hinc me collectum recipit bona Musa Platonis
Qua nunc detineor tam suauiter. interea Sol
Alta tenet, curis quum mens lassata fatiscit,
Hic Musis animum reuoco, fidibusq; canoris.
Mox me diuina accipiunt, ac pectore toto,
Cœlicolas iuuat affari atq; euadere cœlum
Toto animo, curas solari, & linquere terras.
Sed quum rite deis æternis carmine feci.
Do signum pueris, se accingant, mensa paretur;
Apponantq; aliquid modici, gratiq; saporis,
Vinum imprimis, delectamur nos quoq; uino,
Ennius haud surdis legem præscripsit amicis.
Non habeo argentum factum, nec habere laboro,
Fictiliũ est Abacus, nitidũ ac simplex mihi cordi est,
Sat duo sunt pueri, atq; ancilla casaria, census
Nonne adeo magnu est si non desit nec abundat.
Magnificos odi luxus, mensasq; trilances.
Interea mihi dulce canens & nobile carmen
Aut Tusco aut Latio sermone, deambulo aprico
In spatio. pransus, soleo domo abire, leuatum
Tot, tantos mentis fluctus tristisq; labores,

Quæro, ubi sint iuuenes dicto factoue procaces,
Lusibus atq; iocis, animi contundimus æstus,
Annæus talem Latronem Porcium habebat.
Sat scio, non facere hæc populi rumore secundo,
Multi me segnem dicunt, quodq; otio abundem,
Multi indulgentem nimium mihi. uera fatebor,
Hoc, ego iuratus per sanctum testor amicum
Natali Genium nostrum qui fulsit in hora,
Metior ipse meo me met palmo moduloq;,
Vires huc nostræ se extendunt usq; nec ultra,
Seria sæpe iocis quod misceo, habes rationem.
Parcendum est duræ Lachesis matri. excitat hora,
Discedente die, ad Iosephi, in mœnia, curro,
Nec retinent imbres, nec fulgura crebra Tonantis.
Me totum hic uegeto, spatium non pulchrius illo est,
Iupiter hic aperit se aprice, blande & amœne,
Hoc fruor, id uice sit nobis potabilis auri,
Quo tot se excruciant, tincti carbonibus atris,
Grande æs absumentes, remq; paternam & auitam,
Et mundum uxoris, brumaq; rigente lacernam,
Dum stulti ædificant ea in aere inania regna.
Phasin qua spe per uada salsa petiuit Iason.
Hoc facile inuento fruimur nos largius æquo,
Ex sententia ita uiuo, potiorq; Cupito.
Forsan felicem cerebri me dixeris esse?
Quin & quisq; sua nos spe frustramur inani,
Ordine differimus, uari sumus attamen omnes.

Ni mirum & quod de me narro, amentia aperta est,
Humano ex uitio nimium curare aliena.
Quid faciam ad Iosephi, iam iam aduerte, docebo.
Principio, extra omnem ambitionem, me meus esse
Saturnus uoluit, radio haud læuo Iouis auctus,
Hic locus, aucupium est hominũ, grex aureus urbis
Hac transit, quid opus Phrixeo sit duce nobis?
Nunc hos nunc illos digito sub ueste notamus,
Nunc has nunc illas in equis Rhedisq; superbas.
Ridemusq; nouas uestes, commentaq; mille
Ornatus, piget huc oculos demittere sæpe.
Quo tendunt miseri, pila fortunæ & iocus? umbra
Cum sole occiduo crescit, subitoq; liquescit
Syderis occasu, næ isti sunt exigua umbra
Interitura breui, & breuius, quo longior illa est,
Qua gaudent miseri. quos non, hac classe recenses?
Istis sub dominis, nostræ pars magna iuuentæ
Est acta. hæc alios affert ætas mihi mores,
Nempe quaterdenum septembrem impleuimus, annos
Si ad Trutinam referas pueri in grandi sumus æuo,
Nam quis tam carus superis, tam mente serena
Exculta Sophys (rationem supputa) abiuit
Cum iuuenili ætate e uita ad rura beata,
Vixerit hic q̃uis longissima tempora uitæ?
Quicquid enim miseri mortales uiuimus ægra
Mente, ob uesanas curas, morsumq; doloris,
Quicquid dormimus, terit & quod suada uoluptas,

Est mortis, numeroq; e uitæ proijciendum.
Ipse fugæ metuens incerti temporis, hostes
Ceu qui aduentantes timet euasurus in arcem
Raptim cara legit, studia hæc rapioq; uoroq;,
Apponens damno quæcunq; negotia turbant
Hanc seriem uitæ, & uertant licet omnia in aurum.
Iam congressuræ superatis montibus altis
Nostræ, in conspectu & Mortis sunt copiæ utræq;,
Nil est cunctandum dulcis fructus legere æui.
Quis ego (quid faciam) studijs atq; artibus, omni
Contendo ingenio a uili discedere uulgo,
Nam non Censores Graij, non Isthmia pinus
Me declararunt pugilem, uictusue duello
Hostibus, excelsum ciues uidere triumphis.
Non ea uis animo fuit, an claros quia honores
Spreui, sic Genio urgente? atqui bonor hic suus esto.
Cum paucis uiuo, quos delegi mihi amicos,
Osor turbarum, & uentosæ plebis, & auras
Istorum uulgi qui captant, atq; susurros,
Quiq; uolunt magni uel dijs nolentibus esse.
Quanq; procera, infœcunda tamen Cyparissus.
Nos tenues sumus, in tenui uersamur opella.
Istis, non alius fortis, bonus atq; beatus,
Non alius facundus, non est deniq; doctus,
Et taurum atq; hircum fecere, & sæpe iuuencam,
De quibus haud ausim famam differre sinistram,
Immo ego tollo uel cœli supra astra suprema.

Horum congressu simplex tenuisq; superbo
Abstinui ic̃irco, & nullo me nomine noscant,
Abstinui, ne forte Leo laceraret Asellum,
Si quicq̃ pulchri infelix auderet Asellus.
Si mereor laudem, se se ipsa attollet in auras,
Nec formidabit liuorem, animosq; superbos.
Vt torrem immanem incendunt ex abiete sicca,
Sic lychnũ exilem extinguunt, flabra incita Cauri.
Nonnulla in Satyris spes est fauisse camœnas.
Suspendam o tacitis labris non irrita uota.
Iam digito monstrat uacuus me sæpe popellus.
Vesper adest, gelidusq; e cœlo præcipitat ros,
Ipse domum repeto, manet hic me nota lucerna.

IANI ANYSII SATYRARVM LIBER QVARTVS.

AD CHRISTVM.

Noctes atq; dies altaria, tura uaporent,
Ipse reus semper studeam uotis precibusq;
Nõ faciã tibi christe satis, duce & auspice nã te
Exhausi uictor sex permetuenda pericla.
In prunas pronus cecidi, uix bimulus infans,
Dum ancillæ materq; aberant, gressusq; fuere
Scilicet ad flammas & dira incendia primi.

An quia inurēdum maculas mihi, perditū in orbem,
Carmine erat prorsus desueto tempore longo?
Ni centum Satyras opponas, est ubi nullus
Sedigitus belli, at Musæ explosere uolumen.
Vestibus ambustis etiam est in uentre cicatrix.
Mox puerum septennem perduxere lauatum
Ad mare me famuli, liquere & littore sicco
Dum colludentes contendunt nare per undas.
Hic, studio nandi infelix ego, plantula in æquor
Irrepo, placidi allexit pellacia ponti,
Audax procedo, quid pluribus? improba Siren
Quæ allexit, salsas traxit sub marmoris undas,
Sed quia iussisti, seruauit me Ennosigæus.
Palus erat, medijs in aquis defixus arenæ,
Hunc manibus forte arripio, reddorq; misellus
Huic auræ ætheriæ, ut Satyras qui scriberet, esset,
A quibus abstraxe haud potis ignis & æquoris ira.
Parua hæc sunt certe, discrimina magna sequuntur.
Quum è puero excessi (nā forma excellui) amantis
Regis amicitia abstinui, floremq; iuuentæ
Seruaui a stupris, uitaui artesq; palatij
Vt lupus in caudam sæuus, melioribus hisq;
Perfruor, haud uasti quas mutarem imperio orbis.
Magni profectus puerum in studijs generosis
Impulit ad leges genitor legumq; peritos,
Vt morem patri gererem, quinquennium auaris
Impendi studijs operam, sed sedula cura

Musarum, nostro uigilabat pectore semper.
Dira lues se interposuit, mox horrida bella
Gallorum, ad Musas rediј, legesq; ualere
Siui, Gradiuo duce tanta est uicta Charybdis,
Totus iam essem aurũ, at lucro non admodũ honesto,
Ecce meis socijs nunc alta palatia surgunt,
Vestis uerritur, atq; ouium flos, purpura & aurum,
Quis reddit facile extorta? & ni reddimus, Orco
Censores illi inuitos nos reddere cogant.
Arrisit Quinto radijs Fortuna benignis
Pastorem me designans non uilis ouilis,
Aduersus ratio stat. fratres & pater angunt
Se se animi, potui tantum contemnere honorem.
Quid ni, diuitiæ creuissent, atq; superba
Ambitio, at libertatis iactura fuisset
Facta, ullum regum quam non mercabitur aurum,
Nunc animæ est melius, præponderat id mihi longe.
Extremum memorans tacita dulcedine tangor,
Tertia nanq; dies confectum febre tenebat
Me miserum, noctu somnum cepisse putabant
Excubiæ, uenas ego tango, effugerat & uis,
Frigidus & sudor manarat corpore toto,
Actum inq̃ est, nullam edo uocem, degeneremq;
Ploratum, stertit dum altos custodia somnos,
Parcebam matris lachrymis, fratrumq; meorum.
At mecum totus, spretis his fecibus orbis,
Christe tuæ ardebam splendorem uisere lucis,

Hic ubi (tantus honor lucis) mirabile dictu
Nullo fine, auidam saturari, æterna uoluptas,
Atq; immensus amor animam nutritq; fouetq;.
Non licuit, sum forti animo ingressus uada mortis,
Præ dulce est pectus robustum hac cote probasse.
O sic seruatus Satyras te te auspice pangam
Quas refero in patriam primus post secula patrum,
Et nullo lædam tua iniquo numina uerbo,
Sic bonus interpres contingat, mystica si qua
Quæ priscas oleant aras, ritusq; deorum
Vatibus ut mos est (nam ornant hi carmina flores)
Versibus inserui referat qui ea candidus ad te,
Nam tu autor rerum, nutu tu cuncta gubernas
Et stabilis terras, & cœli sydera torques.

IN EPICVRVM DE IMMORTALITATE ANIMORVM.

AD ANTONIVM MARSVM EPICVRVM.

Iamdudum expecto, quid stas Epicure? paratus
Congredere, hæc clypeo excipitur si tragula, dicam
Amphitryoniade te multo uincere monstra
Fortius, & missum de cœlo relligionem
Expunctum. ex binis homines stat partibus esse
Compositos, ex corpore nempe, animoq;, utriusq;

Vis dicenda potens, uaria & diuersa uoluntas
Siue uoluptas, quem in finem pars utraq; uotis
Tendat, quippe eadem est ratio in re dissimili, Albo
Tantundem extremi est, eademq; proportio ut Atro.
Non cuiq̃ est dubium, quin corpus sit graue pondus
Vt lapis aut ferrum, non ergo est ulla potestas
Aduersus niti cœlum, ni uis uiolenta
Vexando raptet. Sed quum uis desiit esse,
In terram sponte altricem redit impete magno,
Fertur & in medium punctum, nisi forte quid obstet
Excipiens pronum præstanti corpore corpus.
Non ultra latum transire unguem datur umbi
Licum, auerso unde est reditus Plutone tremendo,
Viuenti reditus tantum concessus in oras
Luminis, Heroas paucos quæ gloria tangit.
Regum alia est ratio, quorum busta aurea fulgent
Supra res sacras, donariaq; ipsa deorum,
Tanta superstitio superum luxauit honores,
Et quisq̃ supplex istas accedat ad aras?
An quia supra homines, illi telluris honores
Dedignabantur? Sed nostra ad cœpta reuertor.
Corporis, ipsa quies est omnis amata uoluptas,
Nexu animæ at corpus uincitur, nec datur illi
Sede frui, dulciq; toro, optataq; quiete.
Interea medij feruent in corpore sensus
Donec dura animus telluris uincula perfert.
Hinc Epicure tua illa uidendi summa uoluptas,

Hinc tangendi, hinc olfactus, hinc auricularum
Letalis persæpe uia, hinc est tota culinæ
Luxuries, expleri ista omnia nonne uidemus
Exiguo spatio, ut brutis animalibus usq;
Fit rerum satias? quin regnandi illa cupido,
Vel si possideas auri gemmæq; profundum
Aequor, quicquid habet, breuis est, finitaq; semper,
Fastidimus enim, quod tantopere modo noster
Appetijt uisusq; auidus, tactusq; cinædus.
Corporis idq; magis senio. contra, illa senescens
Fit semper melior, propius nam accedit Olympum
Exultans anima, exilio & tellure soluta.
Ista haud lympha sitim potis est restinguere, tanto
Affectum corpus uexante intercute morbo,
At bene restinguat diuinus iugis aquæ fons.
Ergo animæ est alius finis, quo tendere pergat
Non intra hæc elementa, uidelicet unde habet ortum
Appetere hoc mortale, sed ultra mœnia Phœbes
Est ubi non fragilis, sed pura, æterna uoluptas,
Est ubi pura domus nitida atq; æterna deorum
Quæ æterno fertur motu, complexa capacem
Vndiq; circuitum, exæquans primordia fini,
Semper ubiq; eadem. quando deus excipit illam
Egregiam natam passis pater optimus ulnis,
Hæc se illi insinuans ita patrem amplectitur omnem,
Vt, licet exigua, Oceanum quum gutta liquoris
Aethere descendens pluuio prona appetit altum,

Seq; adeo exultans partis diffundit in omnes.
Hinc illa imperij summi indeprensa potestas,
Vis, & maiestas. cæco nos impij amore
Capti hisce illecebris mutamus gaudia cœli
Mutamusq; deum trucibus dirisq; tyrannis,
Nos inopes lucis ueræ & rationis egeni,
Cunq; Epicuro errare libet, Stoa & illa relicta est
Non iam Chrysippi, sed summi regis olympi.
Antoni, tanto tu aliter sentisq; probasq;,
A Marsis quantum distant Cephisiæ Athenæ,
Quæ nunc heu facinus sæuo seruire Tyranno
Coguntur, quis nam tantis e regibus ultor
Exurgit monstrum cruce fulua extinguere? nemo.
Nempe quia est odio studium rectiq; & honesti,
Omnis & ars bona pressa iacet, moresq; maligni
Et uitia & scelera & cædes in culmine sidunt.
At nostræ uenientq; uices, quum dicere tantum
Restabit, fuimus Troes. nostra omnia uersant
Fata, leuant depressa, iterum & sublimia calcant.

AD M. CABALLVM.

Quod non Elysium uisi tot Marce diebus,
Est quia concursus hominum odi, istosq; tumultus
Simiolosq; canesq; istos, laudare beatis
Atq; assentari quis melli est, ipse misellus
Hæc nunquam didici. cum præceptore seuero

An quia consueui, an Genius quia noster abhorret?
At cursu, ex animi officio, contendimus ultro
Si quando nostram poscit bonus usus opellam.
Atqui inquis, nescis, de te Elysius quid auebat?
Atqui inquam scio perbelle, mea Musica certe
Exoptabatur. quæ nam? quæ ex artibus una est?
Non. uerum ancilla atq; pedissequa, quæ solet aures
Mulcere Harmonijs, atq; olim me quoq; mulsit
Ochego duce, cui tantum tribuere Camœnæ,
Concentu uocum, quantum aut in carmine Homero,
Andino aut uati, aut Lauræ in amore Petrarchæ.
Pro facinus, nunc & stomachor, iussiq; ualere.
Qua factum ratione ergo? si forte requiris,
Accipe, nam ueram cupio tibi reddere causam.
Ne Lacedæmonia ut Macedo, feriare repulsa.
Quæ delectabat quondam, tam dulciter aures
Quæq; tenebat,, quæ bilem sedabat amaram,
In rixas & iurgia uersa, ac triste duellum est.
Est uetus illius study, mage pulchra uideri
Cuiq; sua. at sordēt nunc omnia. sed puto ob annum
Largum nimborum porro rerumq; feracem
Tot surrexisse importunos, nomine ferre
Quos piget ac pudet. isti, Marsiā ariona & Orphea
Vincere contendunt, probro neq; parcitur ulli,
Tantum stultitiæ accessit, lacerantq; suuntq;
Gallia quoscunq;, & quoscunq; Britannia mittunt
Musarum altrices, Phœbi gratissima sedes.

Heus Vincenti, quid prosunt istiq; labores
Et uigiles noctes, manibus uelocibus ardent
Dum sic respondere pedes, Musæq; probarunt.
Frustra Antonicium fidibus commendet Apollo,
Et cantu. memini quum olim Pythona canebat
Aut Phlægram, steterunt auræ dulcedine captæ.
Et noster Sagarra latet dum talia nisu
Molitur nimio noctesq; diesq; utriusq;
Iam uoti reus. incidi in istos forte beatos
Infelix, facere in fidibus libuitq; periclum.
At liuor laudem pressit. studijq; labores
Illius assiduos, & tempus ad astra ferebant.
Quin uera hæc adeo sunt, stulti impendimus omnem
Aetatem studio nihili uanoq; labori,
In quo sit Ciceris modius dignissima merces.
Omnia, præterea addebant, præ Musica inepta
Et leuia esse. ultra tot nugas ferre nequiui.
Illi expectabant applausum. non ego uulpis
More inquam faciam, coruo cum caseum ademit,
Dicite præstantes Iuuenes, quis tempore longo,
Et cura, ingenio insigni, iugiq; labore
Tam docte calamos percurrat, seu organa tractet,
Siue fidis, ut non longe hunc superarit Acanthis,
Aut gracilis Ligurinus, mille aliæq; uolucres?
Accipite egregij iuuenes & mente tenete
Quod uobis uerbis pando. fortasse rigabo
Nectareis animi internas concentibus aures,

Haec quibus eloquimur. liquidum est, sola ratione
Differre a brutis homines. quare ars rationi
Quae accedit propius, plus coeli semper habebit,
Contra, plus brutae terrae quae longius errat.
Non aliter zona à media qui tendit in Austrum
Plus calidi, in Boream plus sensim frigidi inibit.
Et quis tam corde est tardo, qui malit agrestis
Quam uir haberi humanus? cunq; his artibus? omnē
Quae exornant uitam, coeli quae sydera monstrant,
Quoq; parens natura super subterq; gubernat
Imperio? mundum uel mens extenditur extra.
Si es iustus iudex, atq; has inspexeris artes,
Sint aliae uiles, nimirum. quis nam ut hirundo
Aedificet? quis tecta, uias, & moenia, & arcem
Parua ut Apis? cursu possit quis uincere ceruos?
Quisue natatu delphinos, aquilasq; uolatu?
Qui mare scrutatur, pelagi uastasq; lacunas
Vrinatorem. aut funambulum ita admiramur
Librantem membra. aut ferientem calcibus auras
Labdaciden Cissum, Lacedaemoniumq; Lycurgum,
Nos fatui. ex genere hoc alias sexcenta ferentur.
Responsum scitum fuit illud, disceret artem
Quo monitus puer est, quam nulla aetate puderet
Exercere, senis quae esset comes atq; uoluptas.
Non sit ridiculum caput Atleta, aut gladiator
Incuruus tremulusq; senex? si sponte in arenam
Entellus descendat, sibilet omne theatrum.

Hic ludus meus est, (spatior nam sæpe per urbẽ)
Nunq̃ non aliquis silicernius, obsitus annis
Occurrit, puerorum qui Rhombosue Trochosue
Aut auium caueas, teretes aut fabricet arcus,
Aut aliud puerile. hinc cœli ad numina uertor
Persoluo & grates, sapiens quas censuit esse
Soluendas animo grato, & dys maxime amico,
Naturæ addiderint qui insignes dotibus artes,
Si patria & res ampla accesserit, es superis par.
Dulce ministerium blandæq; hilarisq; camœnæ
Non ego damnarim, cum Socrate sensimus & nos.
Quin laudo studium arcanum Damonis & artes
Ingenuas, toto cultas & pectore musas,
Si nunq̃ regni hunc cepisset dira libido.
Quod nimiũ est dãno. O Satrapæ hoĩmq; magistri
Recta exempla date, ex uestra effigiamur amussi.
Perpulchre offendit cantantem forte Philippus
Filium Alexandrum, mox illi sæuus in aurem
Non puduit fili, tam belle te cecinisse?
Pyrrhus de binis citharœdis forte rogatus
Esset uter melior? Polypercon mi esse uidetur
Dux inquit melior, de insigni reddidit arte,
Nam sua quenq; decet, naturæ quæ ardua cura est.
Qui gerit imperium, impery se exerceat arte,
Plus nimio, heu timeo, officiat ne incuria, certant
Inter se magni Reges de sanguine, ne dum
De regno. o falsus sim uates, Arsace sæuo.

Atq; malo timeo a uicino, ante ora sagittis
Stat classis facta, at cilice accersenda Charadro
Horrida mox harpe aduentabit. tunc male sero
Pœniteat nostros, exhaustos milite & armis,
Et ducibus, belli & neruo & farragine, nummis.
Quid dicam? noceat quantum hæc incuria nostræ
Parthenope, & pateris mater dulcissima. tantæ
Priscum opus impensæ, tam ingens, tantiq; laboris,
Ductus aquæ uiuæ subter qui labitur urbem
Dulcibus immo urbem, atq; salubribus irrigat undis,
Siccatur sæpe, & fraudatur publicus usus,
Commoda paucorum propter, credesne, duorum
Ad summumue trium, deriuant qui ad sua flumen?
Extra urbem castella, lacus, faciunt sibi priua,
Nec deterret eos maiestas pensilis urbis.
Intra urbem Euripos, passim Nilosq; uidere est,
Aere emptos, illis sacros sub regibus olim.
Atq; adeo id doleo, quoniam tolerare molestum est.
Calcem urbis colimus, limum potamus & omnem
Spurcitiam, exiguus quando ad nos defluit humor.
Quid dicam molem, nostrum quo nomine portum
Appellamus, opus sane admirabile, & inter
Rara orbis celebre, & quo nostra urbs clara feratur
Excrementa urbis ciues seruamus, ut imber
Deferat ad mare, nos turba ingratissima & excors.
Ad mare præterea ædificamus, littora retro
Cedunt structuris, misera indulgentia, tellus

Acsi deficiat nobis, petimus mare, portus
Tam eximius, statio imprimis secura carinis,
Heu pedibus plaustrisq; breui uia peruia fiet,
Luserit atq; operam Alfonsus fortißimus heros,
Res prope perpetua intra paucos occidit annos,
Artifici ingenio naturam imitante parentem
Qui foret haud ipsis Bays obscurior Ancon,
Hæc lippitudo forsan recludet ocellos,
Nobilis & Siren deserta iacebit arenis.
Iam ille alter gurges Nerei domus & Nympharum
Olim qui toto portus celebratus in orbe est,
Quæ sedes miseris fuerat tutißima nautis
Quum plangit cano uehemens Libs littora fluctu,
Nunc solida est terra ac sustentat tecta domorum
Vulgi infelicis piscatorum & meretricum.
Vaticinor, discessuram de sedibus hisce
Parthenopen, Megaris qua aperit fidißima portum,
Nec iam fatidica os ingressa Chelonia nostrum est.
An uentum ad feces rerum? argumento erit annos
Iam multos nostro quod Balsamon aruit æuo,
Vt gemat Elisiis uel priscus Battus ab hortis.
At quid non magni possunt committere reges,
Atq; impune quidem? si fors hic occupet ordo?
Atqui pœnarum satis est peccasse, remordent
Errata, est animum uermis stimulusq; perennis.
Estq; malam deforme magis, si rectum imitatur,
Mens recti prudens uitio superata relanguet.

Fari plura uetor, donec deferueat ira.
Quũ mecũ hæc reputo, obscuris anfractibus omnem
Inuoluor mentem, reddor confusus & amens.
Nos, ueluti liquidum laticem caua palma receptum
Quum magis oppressat, tunc ille enixius exit,
Sic minus assequimur rem, quo magis insectamur.
Autunnusne grauis bilem irritauit, an ira
Commouit mentem? Dixisses multo aliter si
Plus habuissem otij, sese opposuit dolor, & cor
Diuersum abstraxit. carum solabere alumnum
Marce Poum, fratre erepto melioribus annis,
Et quod acerbius est, orbatum tam duce claro
Liuiade, memorare tuum est hoc, carmine longo,
Et tua præstantes hederæ per tempora serpunt.

AD COSMVM ANYSIVM FRATREM.

Quandoquidem cras ad summumue perendie abire
Romam Cosme paras sociusq; comesq; Galeno
Qui facile primas hodie tenet arte medendi,
Accitu, magna tum spe fulgente Leonis,
Sunt, quæ te moneam paucis, pro tempore frater
Porro pauca exempla, domestica facta per usum
Plus prosunt, q̃ Chrysippi percurrere chartas.
Quin stomacho officiunt diuersa hæc fercula crudo.
Est hominum Romæ conuentus totius orbis.

Nundinæ & emporium, colanturq́; omnia Romæ,
Res tibi cum multis erit, ars quia, sic tua poscit,
Romæ ergo mores multorum noscere oportet.
I bone, ne cunctare deo duce & auspice frater.
Tu fortaßis ad hæc. Ego tot terræq́; marisq́;
Sum emensus spatia, & committam, simq́; ita pinguis
Quisq̃ pro uino triste ut mihi uendat acetum,
Vesicam det pro laterna, seligere & nos
Ficum scimus ab allio. Ego ædepol ista negare
Nunq̃ ausim, nam uera tulisti, sed bene cepi
Te, nūc ut uolui ad uada Mespili. Homerus Vlyßē
Fert ne unq̃ sine Pallade uastum errasse per æquor?
Non uerū ad Phæacas erat, qui ad Pergama Troiæ,
Pergamaq́; ad Troiæ, is qui ad Dulichiumq́; domiq́;,
Semper ubiq́; idem, sapiens, argutus & audax
Vt loca poscebant & tempora, cunctabundus
Incipiebat, mox peragebat nauiter orsa.
Dicere quis nam illum audiuit? non ista putaram.
Pœna atrox manet hunc subito quum pœnitet, imum
Sera petunt uota, hoc est incurabile uulnus.
Excipe mortem, persimiles dijs sunt sapientes.
Tu si me audieris, ueluti cautus cocus ollam
Pertentat digito, sic te scrutabere, nosti
Si in te quid uari, cessabit acuta securis.
Cædere? rubricam obseruans normamq́; fidelem,
Ne quid de uiuo reseces. Medici esse putatis
Naturam in causa. multum sese extulit ira,

Continuo est bilis. nitido contra exhilaramur
Sanguine. pituita hebetamur. Linea cordis
Quod pducta minus, quod lõgior, & iugulus quod
Porrectus seu obtusus, propterea esse necesse est
Bardi illum ingenij, alti hunc: nugæ. Socratis illud
Nobile responsum est, ex cuius imagine, mira
Deprendit uitia inspector, quin mittitis, inquit,
Mirari iuuenes, sunt hæc uerissima certe
In me naturæ uitia, at prudentia quando
Texit, formidant sub dio exire in apertum.
Sola potest uirtus animi compescere morbos.
Efficies, testisq; tui, & quæsitor, ab alta
Arce animi, ratio si iudicet imperitetq;.
Fercula mutemus, lancesq; alias iubeamus
Afferri, liceat tecum inseruire palato.
Pauca super studijsq; tuis, atq; arte ferantur.
Ridiculus labor est, succosq; herbasq; docere
Chirona, at poteris nostro tu ascribere amori.
Scis quantum amisit famæ noster Perilaus
Quum socium extrusit. nihil illo pulchrius esset
Si socium pateretur. disce exemplo alieno.
Admitte & socios, imperti & honore libenter.
Solus si rem gesseris, aggredere auspicibus dijs
Et duce consilio uigili, curaq; paterna,
(Hoc apud antiquos sacer est draco Apolline nato)
Ipse tuas partis perage, & dijs cætera mitte
Curanda, illi nam melius scire optima possunt,

Satq; superq;, tibi si mens est conscia recti,
Insimulent alij.potuit uitare susurros
Si non ipse sator rerum, diuum atq; hominum Rex.
Quod lucrum extortum, ꝙ præmia non respondẽt,
Non ideo in furias,& probra,& iurgia surgas,
Quod nõ uenit heri,ueniet tamẽ, aut hodie,aut cras.
Omnia nec pretium debent.naturam imitari
Præclarum,atq; deum, largitur qui omnia gratis,
Gratis æque atq; ingratis.quin præmia semper
Post,benefacta manẽt,scelera impẽdẽt mala magna.
Pulchra est historia,aut illa est fabella,leonis,
Qui seruatorem seruans,medicumq;,theatri
In cauea,caudæ percrebro uerbere adulans
Et memor, & gratus ueterẽ amplexatus amicũ est.
Iam, sat acetatum,apponantur mitia.Romæ
Vrbis amatæ olim,quum te cepere superba
Captum oculis ob priscorum monumenta uirorum,
Tecta,meosq; nouos uises ueteresq; sodales.
Sat scio,Cippellum occursurum inter tibi primos,
Corpore procero,hunc adeo si forte putasti,
Falsus es,excelso est animo,sub corpore paruo,
Nescit stare loco uegetus uigor, atq; animi uis,
Tydea tu nostrum decies amplectere Cosme.
Pierium iuuenem egregium saluere iubeto,
Patritium,Caluum, Lippum, lepidumq; Caballum.
Coritium reuerenter adi,& Bembum,& Sadoletũ,
Et Seripandum cumprimis,quos Musa seuera

Laudibus expleuit, multoq; ornauit honore.
Parrhasium uises, quem torquet iniqua podagra,
Mercuriumq; ijsdem pedibus, non Castora Pollux
Deserit, hic artes didicit de Coclite magno,
Coclite Apollineas orbi qui prodidit artes,
Quis homines scirent animorum in fronte recessus.
Occurrent alij, quos prudens prætereo, ne
Sim describendis nimium prolixus amicis.
Si rogitent quid agam rerum, tu qui id bene nosti,
Dic, tot patronis, securam ducere uitam,
Pierius multorum instar mihi Coppula præsto est
Fortis ut Alcides domitans claua omnia monstra,
Præsto & Parthenope proles dilecta Marinus,
Nobile qui ad Ianum Picumq; refert genus. illis
Dic ergo uacuum curis, & in otia totum,
Nec, si me accersat Romam Leo, detq; galerum
Rubrum, accessurum, sat iam seruiuimus olim.
Non pedibus nunc ire alienis, somno alieno
Non dormire placet. nisi Turca & letifer annus,
Et uix Parthenope eijciant, mihi nanq; libenter
Indixi exilium, intra Vulturnum, usq; Salernum.
Et nos gaudemus natos in principe terra.
Hoc date, si mereor, superi di, euadere cursu
Aequora per uitæ, ad portum, quum fata uocabunt.
Tuq; in amicitijs optandis utere summa
Cura frater, egestas quando est tanta bonorum,
Et uitia, ut scabies serpunt, uitaliaq; atro

Dente petunt, nullo emendanturq; unguine morsus.
Haud opis humanæ est cæcas expungere labes,
Hic magnus stupet Hippocrates, *lippitq;* Galenus.

AD FABRICIVM IESVALDVM.

Fabrici amicorum suauissime, Epistola nostras
Docta tua instando Musas persæpe lacessit
Atq; ad scribendum impellit. quid ego faciam, omne
Si quodcunq; exit uerbum, instar fulminis exit,
Styx calamum, atq; papyrũ, & suggerit atra liquorẽ.
Strix uocem, ex ipsis horrendis faucibus Orci.
Tale erat Hermiones, Telchinum, *insigne monile,*
Vulcaniq; opus irati, exitia alta recondens,
Talia erant, diræ, incantataq; uerba Magorum,
Atq; precum quicquid leuis est commenta uetustas.
Quid malum? ego potius secura silentia nostris
Indicam Musis, *obsignato ore* Camœnæ,
Mecum esse, o diuæ, uos ulcisci illa potestis.
Quis prauos sensus, & uitæ toxica linguas
Vitet, uulnusq; irreparabile? non meministi
Quum Rex Ferrandus *longa ceruice camelum*
Gallorum Regi *misit dono, ut speciosum*
Et rarum munus? monstrum mitti ille putauit
Propter despectum. nata inde ingentia bella
Quorum etiam flammæ crepitantes æthera lambũt.

AD NICOLAVM PHLISCVM CARDINALEM.

CONSOLATIO IN OBITV VRBANI PHLISCI.

Sic uisum patri superum, confusa tenebris
Antiquis, tot mirificis decorare figuris.
Quis tam excors prauiq; animi, quin cognita credat
Esse deo ante chaos quæ nos digesta uidemus?
Attamen omnipotens studioq; & amore paterno
Hoc sibi mercedis statuit, demittere ab alto
Vertice natarum longe pulcherrimam, & ore
Quæ referat patrem, inenarrabilis eius origo est,
Corpus iners licet inuitum quæ attolleret, & mox
Tot rebus Vesta Oceanoq; parentibus, ortis
Quæ foret imperio late regina potenti.
Quandoquidẽ artificẽ hæc agnoscit, singula mirãs,
Nil etenim non admirabile, mens nisi læua est,
Idq; magis quod uile magis, magis atq; minutum,
Vt uermis tractus, culicis faciesq; sonusq;.
Fertur in hos questus tamen erupisse, recenti
Orbe. Quid o tantum merui pater, ut tua proles
Cælo orta in liquido, nulliq; obnoxia culpæ
Auferar in labes affecti corporis? Illi
Vultu quo terras pingit, cœlumq; serenat
Oscula libauit dein rex ita Iupiter infit.

Vade alacris nata, & ne dedignare, quod ipsi
Præcipiam mihi, quũ me hominẽ admirata uidebunt
Frugiferæ terræ, piscosiq; æquora Ponti.
I nata, aduentuq; tuo Symphonia mundi
Perfecta exiliat, totus qua consonet orbis.
Sit comes arbitrium, haud merces ingrata laboris,
Quo bene si utere, præstabis laudis honore
Insigne hoc cœli decus, insignisq; sorores.
Exiguusq; erit iste labor, mox astra reuises
Nobilior, mecum immenso & dominabere mundo.
Illa patrem uenerans, iussis se accingit, & una
Spe fruitur, tandem officio defuncta, beata
In patria ut meritam capiat pro laude coronam.
Nos inopes ueri, lacbrymis, lugubri & amictu
Prosequimur, uotis tota & quod mente petendum est.
Nostra placet mera lis adeo. Si res superarint,
Instat fortuna, obruimur nimio. urget egestas,
Tantũ afflictamur. grauiter premit hoc, ꝑmit illud.
Sunt odio quæ sunt, quæ non sunt, anxij auemus,
Itq; reditq; orbis rerum, sequiturq; fugitq;.
Nos rota, nos scopulus, nos fallax distrahit unda,
Nos aliqua oppugnat semper sub pectore Erinnys,
Quotidie mille in transennis decipimurq;.
Atq; ut Manduces pueros formidine complet,
Mors ita nos terret, personam deme timori
Et quod damnamus, pulchrumq; & amabile cernes,
Sub Manduce patrem latitantem horremus inepti.

Talis dia anima hoc nostro circundata cœno est,
Quale ferunt, dictu horrendum ac miserabile uisu,
Quum uinclis uiuo per singula membra cadauer
Nectebant homini, ut tabo miser ille periret.
Mortem damnamus, duce qua tot crimina uitæ
Effugimus, sanctam in patriam, cælumq; recepti.
Quid te Nicoleos sapientem pluribus horter
Esse animo forti immatura in morte nepotis?
Quem syluis & oues, nitidæ & gemuere iuuencæ,
Tybrin & in lachrymas iam delicuisse parentem
Audimus, ripisq; adeo excessisse tumentem.
Perscripsi hæc pauca ex animi penetralibus, æstu
Curarum iactatus, inexhaustiq; doloris.
His equidem me ipsum pertristi in funere amici
Solabar, quem Parthenope sic nostra colebat
Vt proprium natum, & nunc fletibus irrigat ora.
O si iterum dulci gremio mitissima mater
Fouisset, iuuenem patruo, & seruasset amicis,
Spei tantæ iuuenem, quem nos lugemus, at illi
Regia nunc cæli lætatur ab hoste recepto.

IANI ANYSII SATYRARVM LIBER QVINTVS.

AD FERANTIVM SANSEVERINIVM PRINCIPEM SALERNI.

Agnum hoc Ferāti naturæ opus, ardua res est
m *Noscere, tot uarias res, quoq; hæc dissidet illa,*
Suntq; gradus totidē quot res, mirabile dictu,
Non ouum simile est ouo, non deniq; quicq̄
Vndiq; persimile alterius, quanq̄ esse uidetur.
Quis interuallis Symphonia concinit, unde
Semina sunt rerum, & facies pulcherrima mundi.
Quid differre putas hominū inter se ingenia? & cur
Cuiq; suum placeat studium, quis reddere causam
Possit? quando hominū pectus tam sylua profunda, ac
Impenetrabilis est, rebus num comparet illud
Quis sapiens ortis? in ea qua exerceor arte
Visum operæpretium nonnulla exempla referre.
Educta ætherijs sapientia fertur ab astris
Socratis ingenio. cur tantus uir nihil atræ
Sæpiolæ absumpsit uigilatis noctibus? illi
Id quod, ut ipse reor diuinitus obtigit. atqui
Mox diluxerunt, scita excipiente Platone
Dicta senis, Xenophonq; senis pendebat ab ore,
Atq; ut apes uario decerpunt flore liquorem

Nectareum mellis, sirenum ut cantus, ita alter,
Dulcia dum cecinit, diuæ obstupuere Camœnæ,
Alter cœlesti succo, ambrosiaq; deorum
Impleuit chartas. spatijs huic proximus æquis
Doctus Aristoteles magno ut concessus Homero
Doctus Aristarchus, caligine operta retexit,
Quin didicit sapere haud dū ortus uel matris ī aluo.
Sunt alij obscure, Heracleti more locuti,
Atq; alij ut Chilo breuiter, fastigia rerum
Carpere contenti. pretium Chrysippus, & auxit
Vectigal bombycis, Niliacæq; papyri.
Dicere perspicue, ac præ oculis rem ponere, noster
Suauiloquo tandem absoluit Lucretius ore,
Id quod pollicitus fuerat longe ante Epicurus.
Despiciens humiles terras sublimis Aratus
Summum se attollens alis ascendit Olympum,
Tutus ubi Macetæ contemnit iussa Philippi,
Aegiale hoc uate æternum præclara feretur.
Tristis Aristippi sententia tollit amicos
De medio, mensas uerrit tamen ille tyranni.
Spreuit Democritus, nec magnas uisit Athenas,
Singula dum ridet, miratur & admirantes.
Multatur male Prothagoras, de dijs male sensit
Impius æternis. arcana & sacra deorum
Antiqui uates celebrarunt, sic pater Orpheus
Qui traxit stupidasq; feras, auritaq; saxa;
Sic Linus & Dirces cantor, qui carmine Thebas

Condidit, & uersu hi clauserunt semina rerum.
Inde puto didicit quantum esset cuiq; tacendum
Cum Samius uir in Idæo se condidit antro.
Fatidicos patres, demissaq; pectora cœlo,
Mosen legiferum cumprimis, cui mare ripis
Discedens, non uana fides, circunstitit altis,
Non locus hic uocat, at meliora in tempora seruo.
Quid dicam Smyrnæ monstrũ? quo nomine Homerũ
Appellem, qui alijs, quanquam antiquissimus, omne
Præripuit spatium scriptoribus, illius æui,
Atq; sequentis, longo huic proximus interuallo.
Ille est qui quondam gracili modulatus auena
Syluestrem Musam, mox arua & prælia dixit.
Smyrnæi ingenium, rapidus uelut amnis, & auctus
Hybernis niuibus, uel torrens montibus altis
Præcipitans, secumq; ferens ingentia saxa,
Omnia præ se agit, & late quæq; obuia quassat,
Diuiuum, facile ingenium, si grandia sumit,
Præpetibus pennis ueluti Iouis ales in altum
Fertur ouans, magnis respondent carmina rebus,
Inq; laborata, ingenita ui, prole beata.
Si leuia, hoc mirum est magis, ut grauis illa, decori,
Maiestas, humili in re conseruarit honorem.
Quæ tantum ciuem non urbs contendat habere?
Nostro non adeo felix arrisit Apollo,
Sed laudem inuenit labor indefessus, & acre
Iudicium, quid non præstit græce atq; latine?

Estq; è taxillis erecta altißima moles,
Nec minus hoc mirum, quum rimula nulla dehiscat,
Tamq; laboratum uestigia nulla laboris
Arguit, at ueluti gradiens per amœna uireta
Candidus & plenus cultas descendit in aures.
Liquit pone, Ascram, & Siculis uicisset in oris,
Non ita si iuuenis ualido concurreret hosti
Assueto in syluis, pastorum carmina docto,
Aemulus in latio nemo non porrigit herbam.
Eupolis atq; Cratinus, Aristophanesq; poetæ
Et quis libertas plus æquo tradita linguæ
Quæ non proscindunt, morsu lacerantq; maligno?
Nec mordent tãtum, sed dentem in uulnere linquũt,
Verum tam lepide, ut dirum prius occupet ossa
Vulnus, q̃ sensu manifeste percipiatur.
Hac acie quondam secuit Lucilius urbem.
Mitius aggreditur commotus Horatius hostes,
Illis sub salibus, tanta dulcedine linguæ
Conditis latiæ, quæ non latuere uenena?
Si modo de Plauto dixisset parcius, illum
Viribus ingenij magnis uelim ob esse sequentem,
(Id quod Terpsichoro uitio dat docta uetustas)
Nam quibus auspicijs uitulam, faceret quoq; taurũ,
Atq; hircum, & Latius nobis ut Pindarus, ori
Cuius Thespiades mel apes tulerunt, & ut Alcman
Mollior, Alcæusq; & plus q̃ fœmina Sappho
Et Cæus lyricen Musis dilectus, item esset

Euripides Sophoclesq́; & sublimi Aeschylus ore,
Quanq̃ Pacuuius doctum sonet, Accius altum.
Tantaq́; haberetur doctis tibi gratia Thespi
Quanta potis prisco est Epicharmo maxima haberi,
Quo duce naturam celebrauit Musa Platonis.
Sed redeo ad Plautum miscere ea seria doctum
Scita iocis, risit sæpe atq́; probauit Apollo,
Præter pauca adeo fortasse parum apta decoro
Est totus piper, & salium fons atq́; leporum.
Scipiadas agnosce graui sermone Terentij,
Nil hic non laudes, loquitur mel lingua, nitetq́;
Sic os, ut matutinus sine nubibus æther,
Vnumquodq́; putes uerbum Iouis esse loquentis,
Lenia seu quæris, seu uis asperrima dicta.
Cæcilios rapuere, atq́; inuida secla Menandros,
Atq́; alios quos laudauit laudata uetustas.
Quæ ympietas reges, Geticis sinere abdita claustris
Tot clara ingenia ab blattis sumenda malignis,
O uideam extorres longo post tempore claram
In lucem reduxse uiros de carcere tetro.
Prouexit dolor a recta me longius ingens.
Mollia Callimachus fleuit, Cousq́; Philetas,
Ausonij iuuenes laudem meruere secundam,
Delia clara Tibulli est, Cynthia clara Propertij,
Alter simplicior, Romano digna pudore
(Seu quum spreuit opes Regum, contentus amicæ
Illecebris, seu quum natalibus est operatus

Aut Nemesis pulchræ, aut Cherinthi nobilis ignis)
Deduxit, Veneres & amores exprimit alter,
Iratæ siquidem sæpe occentabat amicæ.
Scabrior in numeris, sed magnus utroq; Catullu·
Dij superi, unde illa effluxit diuina loquendi
Dexteritas? quæ animum titillet, commoueatq;
Permulsum, ac penitus captum dulcedine mira,
Hunc docti obseruant, magni metuere tyranni.
Inuidit Caluum nobis cariosa senectus
Temporis, & fera barbaries & tristis Erinnys,
Inuidit Gallum, & mox Chalcidicum Euphoriona,
Et Teium uatem, Siculisq; Philoxenon antris,
His lepor & Charites blandis sedere labellis.
Summoueam ne hac Nasonem de classe Camœnæ?
In dubium non uenisset uel iudice Cyrrha
Vates, si ingenium firmis preßisset habenis,
Aut ea delesset quæ scripsit Apolline læuo.
O tantum extarent cum priscis tempora causis
Candidior cecinit Mæandri quæ ad uada Cycnus.
Quot, uitium infelix transuersos egit in undas
Obscuras Lethes, potuissent qui alta uidere
Vertice sublimes ingentis culmina famæ
Regnorum, ac turres æquantes sydera pinnis.
Magna est censura, atq; peritia Quintiliani,
Et ni obstet seclum, qui sit spes altera Romæ.
Mentem indefessam & miramur Isocratis artem.
Varronis doctrina ferax, & Musa seuera est,

At minimum Veneris, ueluti medicus bonus, ægri
Cui sit cara salus, dat non placitura palato.
Porcius eloquij ut morum obseruator auorum
Romanam historiam, & culturam condidit agri.
Iulius & fecit & scripsit Cæsare digna,
Dicere de nota artificem admiraberis arte.
Scilicet his similes fert ætas nostra tyrannos
Quos Cyrus solio & dignetur Roma triumphis.
Defæti heu mores, studia & prolapsa residunt.
Sed redeo, est animus cœpto persistere cursu.
Thucydides grauis, at cui gratia non sua desit
Dum canit horrẽdum, atq; ipsa inter prælia Martẽ.
Crispus, ceu pleno Tybris quum defluit alueo
Compositus, summas contentus lambere ripas,
Qua incedit maiestate, & breuitate opulenta?
Est frugi, inq; opibus magnis compressus uterq;.
Liuius Herodotum contendit uincere donis,
Larga ex immenso thesauro munera promens,
Et uelut Eridanus lætissimus irrigat arua
Amplius atq; affert, potis es quam poscere uotis,
Tunc Apona amittet nomen pulcherrima tellus,
Deseret auersus quum Antenoris arua Timauus.
Hæc prope diuina ubertas & copia felix,
Et nitor, & uis, in Dæmosthene, mox Cicerone
Romanæ linguæ insigni patriæq; parente,
Præfulsit, donum superi quod maximum habetis,
Quo duce nos homines uestras ascendimus arces.

Tantum equidem quos admiror, nec laude potis sum
Ferre sua, paucis percurri uersibus. o quæ
Talibus ingenijs debetur gratia? quippe
Non fuga, Echionias Thebas, non Ilion ingens
Temporis absumet. donec Sol crinibus aureis
Lustrabit terras, & Phœbe argentea noctes
Ornabit, uatum tantorum fama manebit.
Quid nam uestra duces opera essent, fortia corda,
Illa nisi famæ sacraret Musa perenni?
Sed sat aberratum, redeo tandem, atq; ita claudo.
Vnusquisq; suo in genere ex his clarus habetur,
Ordinis atq; sui ductor apprima peritus.
At simul eductos una si in classe locabis,
Non secus ac connixantum molemue trahentum
Dissona prosiliat uox. tum non nauita flectat
Quadriiugum currum, metæ saxa ardua circum
Qua facili flectat dextra, ac ratione triremem.
Cuiq; suum dedit ingenium natura parens, quo
Si quisq; utatur, pueri ut Lacedæmone, quantum
Emineant artes, quis sæpe urgemus abuti
Auersa natos mente, inuitaq; Minerua.

AD ANTONIVM SERIPANDVM.

Quid Decius quæso Seripande aprianus agebat,
Longius a nido haud solitus cum matre uolare,

Externas inter, his tempestatibus oras?
Nam Pous a puero peregre est persæpe profectus,
Elysii auspicijs, quem nobis dira draconis
Perfidia eripuit, merces sat digna laborum
Officijq; sed ille habet alta palatia cœli.
Sedem de morte, huius coniectare potestis,
Nam uitæ mors est actæ certissimus index,
Ad manes tum digna manent mox præmia uitam.
Sed de tempestatibus & de diluuijs his
Quid dicam, nisi prodigiosum iramq; deorum?
Quum non profuerit carbonibus obruta Achates,
Quare sint uota austris concipienda secundis,
Defossis scrobibus sublimi uertice montis,
Vt teneat cursum non læuo tempore classis.
Diue Rhodo solitus præsto esse auerte furorem
Arsacidæq; harpen, Gradiui hastamq; minacem,
Carbasa da uentis, pontoq; uolare carinas,
Nam tibi Ialysius Telchin sua credidit omnia.
O non inueniat Phœbi frons aurea nubem
Inuisam crassaq; nimis caligine opacam.
Num corui annosi, cornices Alcyonesq;,
Et Tarræus Apollo, Telemus Eurymidesq;,
Prædixere imbres qui agros atq; æquora inundent?
At fore dixerunt nostri, uerum altero ab isto
Anno præscioli. nugæ. tantumq; laboris
Et tantum curæ, assidui noctesq; diesq;
Impendant in re abstrusa, uix cognita & ipsi

Naturæ. an forte hæc fiunt, quia cuncta laborant
Aut tristi euentu, aut torquenti copora morbo,
Et mundus senio afficitur, lentaq; senectas
Illa deus numerisq; & sortibus ut committat,
Aut auibus quas Phœmonoe monstrauit Apollo,
Oscinibus coruis, cornicibus ardeolisq;
Inducunt animum. frontis non uena secetur?
Tanta superstitio mentes inuaserat olim
Quum Galli imperitabant imperitantibus orbi,
Soricis argutus timidi quum occentus honores
Et formidandos poterat prosternere fasces.
Iccirco est crudus Genius, lippitq; Petreius,
Cœlum ita dum pecoris censent ut scriptile tergus
Esse a natura extentum, atq; hinc fata recludi,
Quæ sunt, quæ fuerint, quæ longa in secla sequātur,
Norintq; hæc sapientes prima ab origine mundi.
Nostras cuiusq; hinc ego res pendere putem? quin
Sunt nostra a tergo, præ oculis aliena tenemus.
Nuper apricantes in portu risimus alto
Pectore, ne dum ex ipso splene. deambulat alter
Dum mecum illorum, referans arcana deorum,
In foria ecce imprudens est delapsus opima.
Heus inquam bone, non te astra admonuere futuri
Naufragij? certe uitasses cautius istuc.
Ingenuusq; pudor porro, & mens conscia ueri
Illis uel pedibus nostram in sententiam adegit
Durum alioqui & perstantem non porgere gramen.

Nos, quid Atabulus importet Libs, quidue minctur
Sæuior Arſacides, ferro hic ille ueneno,
Perpetuo luctu canos cinere oblita mater
Conficitur Roma, expectant dum funera funus
Extremum, deſperatis tum deniq; rebus,
Si ſapimus curabimus. hæc tua maxima cura
Sit Cæſar, miſsis odijs. tua maxima cura
Tandem Adriane, tenetis qui orbis ſceptra, probari
Si a populo cupitis Chriſti, in diuosq; referri,
Inq; æs ne inciſa antiquentur nomina. uobis
Mutanda eſt ratio, minus ut ſucceſſerit illa.
Hic animis opus excelſis & pectore firmo.
Tellus plena malorum, nec non & mare plenum.
Ne geminum quæſo ſydus tam noctis opacæ,
Ne geminum rerum columen committite reges
Vt tanto deſiderio ſit Iulius urbi.
Si uos Fortunæ ſoluiſtis uota benignæ,
Inq; manu ueſtra eſt Diuæ depingere uultum,
Si eſt quantum iucunda queunt inſomnia ferre,
Si omnes ſuſpiciunt, ſi hominum ſic eſtis in ore,
Ne populi famam contemnite, nanq; ſecundus
Rumor, præcipuus mox teſtis erit Rhadamantho.
Præterea quid de nobis tum deniq; reſtat?
Et ſpeculum Cereris promittat uiuere longum.
Quum lunam pedibus, quum fertis fronte Tiaram,
Quum flores ouium, quum ſcabrum uerritis aurum,
Continuo cura exurit, quam maxima cura

Atq; superstitio populum, quo nam patre nati,
Quis maioribus orti, & quæ commenta papyri
Mille ferant ægre, nec desidiosa Beatrix
Tot populi taxet concursu, in luce celebri,
Quis oculis, quo naso hæc, quanto ore illa, labroq;,
Qua rica, turpi quis pendeat aure Cylindrus,
Num pectus deceat murena, monileue collum?
Palla decens ruget? pedibus sandalia quæ sint?
Deniq; spathalijs non totis ulla placebit,
Aut studium in causa, aut natura nouerca feretur.
Credite, uel scirpo nodus disquiritur. & me
Si, quod uitaui ac uito plus aspide surda,
Suspiciat uulgus turba comitante, Galero
Cum uiridi, extemplo scitetur, Cycnus in ouo
Minxerit, an Gallus semen quo nascerer. & quis
De Gallo natum me crederet esse Latinum?
I repete Annales, Tancredi militiamq;
Bissenis natis comitantibus, uno quoq; &
Natorum cum mille uiris de classe secunda.
Nostri & Anysiadæ non oppida parua Garumnæ
Fluminis ad ripam usq; tenent, longa ditione.
Illi barbariem retinent atq; oppida auita,
Nos citra inuidiam fruimur cœloq; latino,
Et lingua, amissis opibusq; & rebus auitis,
Sudore, & sparso generoso sanguine partis.
Sic sumus omnes, nam quis non in forcipe uitæ
Ambigua, atq; rota fortunæ uoluitur æui

Ter quater in spatio: Plutus miserabilis orbe
Itq; reditq;, manet nunq̃ neq; perstat eodem.
Mutantur cuncta aut delentur tempore cano.
Alphesibœus heri in uoces erupit apertas.
Plute deum dulcissime, cunctorum optime Plute.
Quanto errore quidem, quum sit diuersus ab hisce
Vocibus ille æger, cæcus, rerum omnium egenus,
In uitiumq; sui conuertens ilico amantes,
Si semel attigerit, facile haud diuellitur atra
Asphaltos. Tabulas corrupit sæpe Auienus
Et caret hærede, at peccatum pœna secuta est,
Nanq; suum hæredem ascensorem scripsit Apellam,
Nosti Cincindelam, ore atro, crure canino,
Demissis ut equo labris ætate senecta
Qui robustorum turmas sectatur equorum,
Agnorumq; greges ueruex sectarius urget
Nestoreo puer æuo. at mox Phlegethonti erit esca.
Proderit inscripto quod erit, quodq; in numerato?
Nil minus ut remur, coram censoribus Orci.
Fœnerat Alphænus sine lege metuq; deorum
Fœnore centeno, dat plumbum uultq; uideri
Argentum, dat centones pro purpura & ostro.
Otia non longe peregrina negotia uincunt?
Stulte quid undosum mercator per mare curris
Si Thyle Antipodesq; domi, si ipse est nouus orbis?
Tum formica domi non ulla tenacior, heus tu
Quæ defraudandi Genium dementia tanta.

Parcitur, arbitrio ac si flectas Solis habenas.
Quantam buccam inflat quũ nomina magna recenset
Alphænus, nimius iactandis seq; opibusq;.
Auri contraxit uim maximam, & aßium erat res
Paucorum paulo ante, sed Arrius inclytus heros
Nostri temporis hunc absumpsit, remq; ligurit,
Arrio ut omnes dyq; deæq; uelint bene, ad assem
Qui fures manifestos, illum, aliosq; redegit,
Non quadrupli pœna contentus fortior Indis
Regibus, & fœnus prorsus tollente Lycurgo,
Hic Iano quartus spolia præfixit opima.
Meq; etiam inuenit deus ultor, habensq; flagellum,
Nanq; pecuniolæ mihi erat non nil, ubi quidam
Quem miserarer homo occurrit, cuperemq; iuuare,
Ex hac, proposuit certa spe, posse parari
Mercem, quæ sibi non modico foret, & mihi lucro,
Cur ego tam iusto non lucro utrunq; iuuarem?
Credidi ei miser, in uulpis male conciliata
Rem merx colata est, sumq; umbra relictus inanis.
Inuideor miser, an ne inuisa pecunia fatis?
Quando tam misere est ipsi intus & in cute Diti.
Consulturus eo quid agendum sit mihi, Balbum.
Ille, uti germanum fratrem peregre redeuntem
Accipit assurgens, tum, næ tu tempore dextro
Venisti inquit Anysi, mox præludia cæpit
Nescio quæ legere, e medio rure, ipse probare,
Commotura licet stomachũ, uel quem urna ualentem

Fecerit Absynthij, aut ceratum nobile Myrrhæ.
Nam quid ego facerem? sed me tum deniq; Apollo
Respexit prope confectum, collega uocauit
Accusans illum prolapsi temporis, & quod
Non ad condictam Clepsydram uenerit. illæ
Inq; forum ranæ ad coruosq; abiere. recessi, &
Amplius haud redij, grauiora hæc damna fuissent.
Sic asinus magnis tantum auribus, ore recessit
Paruulo, & arridens docte ut blanditur asellus.
At si os & uocem expedio Titanibus ipsis
Horrendam, faxo ut cum alio rem intelligat esse.
Est mea lingua salem, defendet me quoq; lingua.
Quærere nil cesso tamen an Fors offerat ouum
Anguinum, eriperem æci quod ab arbore Martis.
Non secus accepit me fallax ille rapaxq;
Cui res cum diro concordat nomine amicus,
Fœnori amicitiam tradens, & munera uendens,
Quum bis uicenis uoluit me tangere nummis.
Haud aliter leporem ludendo callida uulpes
Allectat captatq; dolis dum ad uota reducit.
Tum uitium deforme magis, quum rectum imitatur.
Occulto latrone fori nil tetrius. istum
Vitato ut Scyllam, & rapidã Seripande Charybdim.
Ex Erebo ultrices facinus uidere sorores
Intuleruntq; pedem, pœnas dedit improbus. at tu
Quanto aliter, noster Vassallus ab usq; Calabris
Quæ mandata habuit? Siculum mare nõ nisi amari,

At dulcis laticis Sebethus pocula præbet.
Non urtica rosas, neq; Acatia fert Hyacinthos.
Hoc Samij cor erat, quum interdixit bonus esum
Carnis, ut innocuis quoquam officere abstineamus.
In uulpesq; luposq; anguesq; aquilasq; liceret,
Idq; genus reliqua, ut labes & toxica uitæ
Exercere odia, aduersumq; ire omnibus armis.
Tollere de medio sæuos impune tyrannos
Fas & iura sinunt, rabiemq; arcere luporum.
Isti nempe lupi, isti hominum sunt tetra uenena.
Pythagoræ Hippasidæ uera est sententia, eidem
Subscribit natura parens, tollitq; tyrannos,
Et quicquid refugit rebus prodesse creatis.
Heu quot Achemenidæ patimur Cyclopas, & atros
Antiphatas. pauci Aeneæ sunt, pauci & Vlysses.
Nulli, quis uetita incidantur nomina seruis,
Consecret, & merito, quæ ætas uentura nepotum.
Iampridem meditor genuino effundere uirus
Quod non Alpheus uel totis diluat undis,
Nec leuet auxilio dictamum nobile Dictes.
Sed de hoc hactenus, & gallum forte allia pastum
Dixeris. è specubus præstantes uiribus ursi,
Atq; cauo, mures facile fumo excutiuntur.
Te, ueluti expectant arentia gramina lætum
Incumbentem imbrem, sic expectauimus, una
Longus quæq; dies uisa est cupientibus annus.
Peliaca fertur puppi manus inclyta Regum

Phasidos ad fluctus, ponti uada cerula nasse
Flores Græciæ ut auferrent duce Iasone pellem
Arietis auratam, forti data dona Gradiuo.
Mortem obijt Phœbi interpres carusq; sacerdos
Parrhasius, quem clara ferunt monumenta per orbē.
Hæredem, unanimem librorum hic scripsit amicum,
Te Seripande, manu cum lecta insignius auro
Phrixeo, ad donum, accesti Lucania in arua.
Arduum opus uigiles fuit expugnare dracones.
O cur non comes accessi, testudine sacra
Pectora mulsissem iuuenum, curasq; leuassem,
Atq; freti Siculi strauissem monstra sopori.
Hæc commentabar sub noctis tempora, Musæ
Quum admonitæ Aurora nitidā accendere lucernā.

AD IANVM MORELLVM.

Semper ego accepi miserabilis ambitionis,
Mendacij leuis, & nugarum deniq; magnum
Te osorem ac castigatorem acerrimum Anysi.
Nunc uero longe nobis diuersus haberis,
Quandoquidem coruos tam suaui gutture uoces
Edere, uel supra Cycnumq; & Acanthida dixti.
Hic locus admonuit lucentis in ætheris oras
Cerberon & furias stygijs educere ab antris,
Heu quid non urbis licuit gladio atq; ueneno?
Et quid non paulo post, ex Phaethonte nepoti?

Miscuit insignis Nemeæ fera, sacra profanis.
Hinc tumor adriacus Maleæ præruptior undis
Extulit ex humili caput acta, post breue tempus
Ludibrium uulgi, & fortunæ ludus habendus.
Et si tempestas ultra perrexerit ire
His nimbis, his turbinibus sæuisq; procellis
Iam penitus uideo summersam fluctibus atris
Petri nauiculam, quam uix tenet anchora sacra.
Heu Tiphy extincto qui succeßere magistri.
A sole exoriente nigrantibus imminet alis
Eurus, & Hesperijs furibundus dira minatur.
Occasum inuenient tenebrosæ deniq; luces.
Es præsto afflictis rebus clementia diuum.
Iuro ego perq; auram & gladium Morelle, maligno
Non animo id factum, aut fallaci, aut ambitioso,
Nam non uersutam obijciet uulpem mihi quisq̃,
Nec teneris ut Anysius inseruiuerit alis.
Sed, quia sub primis ualuis spes tanta refulsit
Rei bene (diffiteor mea non peccata) gerendæ,
Tum sic præmonitis animos firmare putabam,
Pignoribus uelut acceptis sine fraude doloq;,
Sit nobis irata Fides si fallimus, atqui
Spectata iuuenis uirtute grauißimus unus
Instar multorum est testis mihi Martyrianus,
Testis Minturnus proles præclara Maricæ,
Branchaleo atq; Arcella Camœnarum duo ocelli,
Franciscusq; animo qui tollit ad astra columnam,

Quis credo mea consilia atq; arcana libenter.
Tuq; adeo testis, quo utor censore & amico
Candide Morelle interpres fidißime Phœbi.
Atqui sub cultro & dubia sub forcipe liqui
Herculis a biuio, si pergant limite læuo.
Quid q; mellitis Absynthia miscui amara
Pocillis, Regum benefacta extollere cantu
Pollicitus. contra, petere imbre atq; igne tyrannos,
Id quod iam facio, tristi loligine chartas
Implens, pauci etenim læto sunt carmine digni.
Quid faciam? si acri uicta est prudentia morbo.
Non aliter teneor prædulcibus hercule uotis
Scribendi læto pulchrarum carmine rerum,
Quam qui sub cancro, aut feruenti sub cane sulcat.
Ceruleum pontum, quum uix leuis aura mouetur
Solaturq; famem Thynnis olidis & oliuis,
Telluris dulcis, rerumq; tenetur amore
Fontisq; crustiq; offæq; olerisq;, recentum.
Nollem equidem maledicere, sed recti urget egestas.
Ergo ille alter prodegit sine lege modoq;,
(Vt missos faciam natos uentri Veneriq;)
Sacra alter laribus faciebat humillimus? & tam
Frugi sunt uisi rubris sub uestibus, aurum
Detexit tandem quod purpura texerat olim.
Dißimulent miseri, effugies non uincula Proteu
Vltricis pœnæ. quum mors armata flagello &
Falce manum, horrenda aspectu, metuenda sagittis

Astiterit, quid aget turpis mens conscia culpæ?
Quæ se nube teget, sub dio, sole nitenti?
Nullum ergo uiuis exemplum funera præbent?
Quando audit male qui sulco delirat aberrans.
Quam decet o ciues istum infula sacra subulcum
Non tauris minus ac uitulis prurigine notum
Quemq; pudet nil, quiq; est mure salacior albo,
Siue pedem attollit, reprimit seu forte uicissim,
Vini torcular, pulpamentiq; macellum.
Pro superi hæc æquis oculis spectare potestis?
Tractat sacra, gregẽ immo expilat, & rundiq; glubit,
Et quo commento? atq; lupis dat ferre misellos.
At leuius damnum est quod plerosq; afficit omnes.
Ordo olim uenerandus & omni insignis honore
Abiectus iacet, abiecta despectior alga,
Vulturibus præda obscænis exposta lupisq;.
Felix illa domus, dicebat sancta uetustas,
In qua detonsum caput esset, & area rasa,
Nunc adeo infelix, tot uespillonibus ortis
Et quibus, indignum, non distent sacra profanis.
At uidet & patitur tales considere puppi
Nostra hæc de cœno siue est quid spurcius ætas,
Quin fœnum e cornu eripitis, uenamq; secatis.
Non tantum iste meo uersatur perditus ore
Cominus eminus at digito monstrabitur hic est.
Nimirum malus exemplum & melioris imago est.
Ecce laboratur de Pontifice, illud in urbe,

Vt non Vulcanus magis in fornace laboret
Poculo ubi insudat clypeoue excudere Bacchum
Aut Martem, aut alium insignem de gente deorum,
Optetur dignus generosi ut sede Leonis.
Dementes, quaerunt quod habent, factũ atq; paratũ.
Sic extra sortem Cincinnato tulit olim
Supremum imperium summo in discrimine Romã.
Heu heu quale caput cerebrũ neq; habet neq; mentẽ.
Haud secus est illis factum, quis sceptra tenere
Contigit, ut forsan saturetur sic Iouis ira
In populos, mente, ore, manu peruersa sequentes.
Atq; operam atq; oleum lusi, de Principe quum tam
Scribebam grauiter, Satyramq; probauit Apollo.
En torquent pueri & dementes sceptra deorum.
Hinc in subiectos populos commenta rapinae,
Scripturae, portoria, uectigalia, mille
Furta. domi aut perit, aut oritur quid, siue proterua
Quid fortuna foras ferat, id, mora nulla, popellus
In loculis sentit, dum confert sanguine parta
Aera, laboratis operis noctesq; diesq;.
Quae aenea lingua ferat res indignas & iniquas?
Si quid apud miseros forsan spectabile cernunt
Aut catulũ, aut equulũ, aut casses. si cruribus altis
Gallus, si gallina domi, tolerabile at hoc est,
Si puer egregia forma, si filia, si ipsa est
Vxor, non hasta Mauors non fulmine Pallas
Vnguibus abglomerent praedam. poscuntq; uoluntq;

Quid mirum? fugiunt si ciues Arsacem ad ipsum,
Mutatum sacra, abiuratum relligionem,
Si digito ostendunt, si extollunt uocibus illum
Tantorum ultorem expugnatoremq; malorum.
Tales uiderunt Heroas secula prisca
Theseaq; Alcidenq; Catonemq; Aemyliumq;.
Hæc mala Praxiteles præ longo tempore uidit,
Luctum ubi matronæ, meretricis gaudia finxit.
De patria expedio paucis, respublica nulla est.
Parthenope urbs eadem, aut faciem mutata parũper,
Dicant Astrologi, an sub eodem condita cœlo est?
An sub diuerso? atq; alijs obnoxia fatis?
Quum sint longe alij ciues, diuersa uoluntas.
Non alimenta patri debentur mutua natis.
Nunq̃ erit? ut liceat gaudenti occurrere ciui,
Iure trium qui natorum donatus agello
Vxoremq; alat, & dulcißima pignora natos,
Mutuaq; expectet naturæ fœdere certo.
Si pergo, edicent, sacer, intestabilis esto,
Carminiæ Mariæ in campo luito improbe pœnas.
At deus inueniet tandem scelera. alluuiones,
Ac si iterum uictus Neptunus Palladi diæ
Cedat & iratus tumidum mare uertat ab imo,
Et Iuno rixas in fratrem exerceat omnis,
Pellice centena coniux commota sororq;,
Miramur, uentosq; insanos, Aeolijs ut
Carceribus fractis uolitantes, ipse reuerti

Iamdudum quæro, ſat abiui a lege magiſtri,
Perq; uiam inceſſi nobis non ante probatam,
Præq; ira æratos furijs tranſcendimus orbes,
Si quis flagitia hæc, aditus foret emendandi.
Sed fruſtra, an ne unq̃ noſtram ſuperauimus umbrã?
Sic non ad frugem dij conceſſere tyrannis
Poſſe redire bonam, urtica an queat eſſe cupreſſus?
Vix, caligantes ad diæ lumina lucis
Illi umbras rerum diſcernunt. quum prope ueri
Fulgor adeſt, oculus refugit, radioq; relanguet
Percuſſus, miſeri obſcura uerſantur in umbra.
An linxit limam lingua atro offuſa cruore?
Næ tu Morelle adueniſti tempore, tot me
Ereptum curis, morſuq; doloris acerbo
Qui forſan triſti multaſſet frigore uatem.
Quando inuenta mihi non eſt Atlantis Hyena,
Quo clypeo aduerſus truculentos uterer hoſtes.
En ſequor ad molem, portum requiemq; laborum.

AD MYRRHAM.

Quem finem Satyræ tandem? quũ Myrrha rogabas,
Non potui non confundi intus, ſcilicet anceps
Qua mente id nobis, nam quid me ſcribere uelles?
Iſta ne molliculos tempeſtas poſcit amores?
Aut cantus? qualis dulcis modulatur Aedon.
An mihi forte placere putas magis atra ſerenis?

An fors cantabo cui mater erat soror, & cui
Grandis auus pater? historias nascentis & orbis?
Non ita Terminius censet tuus, ille uolanti
Addit equo stimulos, & loris uerberat armos.
Non ita Minturnus cui cordi est Musa seuera
Sublimi Sophia, causis & prædita rerum.
Non Gniphus interpres Naturæ & Tucca disertus.
Pars hominum ob leue peccatū, capite impetit hostem
Ac cauda ferit, irarum incumbente procella.
Tetro alij uitio, quod non ferat urna cicutæ,
Quorum natalem afflauit Cephei grauis ignis,
Facta, infecta æque lacerant, usq; & maledicunt.
Non, quum, Varronem fuit insectatus aperte
Balbus, Virgiliumq; Catullumq; & Ciceronem,
Nam Pontanum alijs ferit ictibus, & Syncerum
Quos antro Musæ, & chorea est dignatus Apollo,
Raro ergo ingreditur Iouis aurea limina uates
Quanuis descendat sublimi e monte sororum?
Hunc olim elinguis mutusq; ut piscis in alto est,
Pertuli? ab isto, alij sunt digni uerbere sistri,
Digni odio, quali insectatur Acanthis Asellos.
Dij superi cycnos qua corui uoce lacessunt.
Vrentur tandem paribus flammisq; notisq;,
Atq; illas curas infelices, pede claudo
Mulciber absumet cum risu & cum prece dira.
Versus ructantem Heluidiū, Variumq; bilinguem
Vsq; ad rumpenda ilia sæpe hausi patienter

Auribus hisce equidem, quibus opposui Ostia sæpe
Ne qua animum intrarent summo euellenda periclo
Iam fessus sum, doq; manus. quum plectra resumo
Dulce canens quid, continuo tristis satyra exit,
Iamq; mares numeri crebro sunt uaricę claudi,
E medio est quicquid nostra est enixa Camœna.
Præsenti hæc eadem sermocinor, exit ad ista
Lingua, eadem absenti modo non scribuntur amico.

AD I. BAPTISTAM CARRAFAM.

Venisti è Rhodio tandem Carrafa duello,
Teq; sibi retinet formosa Neapolis arcte,
Quando eques es præstans, & in aurē dormit utrāq;.
Naturæ ut tristis quia labes, otia damnas
Incumbens Musis, dum Ianus uincula nectit
Gradiuo immiti, uirtutum insignia tanta
Me totum tibi deuinxere. at Iupiter, uni
Cuiq; suum est cerebrum, fumus suus omnibus igni
Admotis lignis. mensam luxumq; tyranni
Linxit Aristippus, secum alter duriter egit.
Ridebat satus Abdera quæq; obuia, flebat
Contra alter, Solis radio rex iussus abire.
Quis pro diuitijs & honoribus ambitiosis
Non, ueluti rerum uilissima, cætera temnit?
Isti illos rident, isti ridentur ab illis.

Quum tu iußisti Chironem me tibi fidum
Præberem studijs musarum, te quibus omni
Addixti nisu, quoniam mea norma uetabat
Continuo renui, causando multa morari
Nõ animi ingenui est, mihi da hãc ueniam bonus oro,
Gauricus huic oneri melior. uos sumite pulchrum
Exemplum iuuenes claris maioribus orti,
Non aurum satis est, Melibœaq; purpura, quisq;
Si fama in longum studet æuum extendere nomen.
An, quia imaginibus patrum, & præclara columnis
Tænarys Phrygÿsq; & quas Aegæa Carystos
Et Paros errorum Cereris non inscia mittit,
Est domus, ista decent ideo uos otia? summo
Quisq; loco deformi ignominiæ putat esse
Nostra sibi hæc studia, atq; artes, quibus illa parentũ
Aurea præfulsitq; ætas, rerumq; potita est.
Prudens prætereo, uetat & lex Iulia, sed quid
Tam claris opus est rebus subscribere nomen?

AD I. MATTHAEVM GIBERTVM.

Regi Persarum Artaxerxi dona ferebant
Ciues, quisq; sua, studio certante & amore.
Non secus atq; deus, pulcher mortalibus est rex.
Hos inter, Regis studiosus homo ultima egestas
Quẽ premeret, quid enim dare posset? fonte liquorẽ

Ecce cauis hausit manibus, Regiq; propinans,
Rex, ait, hunc laticem tibi amoris signa propino,
Quando res aliæ desunt. est fama, libenter
Os regem porrexisse, atq; hausisse liquorem.
Non sum adeo cerebri infelix, ut uiribus hisce
Quum laudum cumulos committo, & tot bene facta
Quæ canere aggredior, sim nescius, esse pusillæ
Instar aquæ, undantē tendit quæ extinguere flammā
Aut Aetna ardente, aut scopulos ructante Vesevo,
Dum Catinæ exitium hic, Sarrastibus ille minatur.
O Matthæe, uides, quo me adduxere precesq;
Sedulitasq; tua, ut Clementem carmine ferrem
Atq; domi atq; foris clarum, claroq; parente
Et claris atauis, insignem ex gente deorum.
Vera cano, es lucuples testis tu maxima Roma.
Iam feci satis, orditus tam nobile cœptum,
Sed quo progrederer? prorsus uertigine crebra
Confusam abduxi mentem gressumq; repressi.
An rerum obiecta est moles, seriesq; profunda?
Ceu qui caligante oculo despectat hiatum
Terræ altum? an ne impar expaui exordia tanta?
Compressiq; oculos linguamq;, ut uictus ab arte
Ille sua, obduxit pictor mæsta ora parentis,
Græcorum ob reditum mactandæ uirginis ara.
Consilij est grauis, ingenio maiora tacere.
Crœsus an admonuit, sententiaq; illa Solonis?
An porro ingenij uitium obstitit? ipse bis illo

Destiti ab incepto,ueluti qui currit aperto
In campo,puteusq; repente apparuit altus,
Vix imbibet pronum,ut rapuit fuga percita corpus.
Quidam insanus erat,cumprimis hercle facetus,
Ibat sæpe uiam sedata hic mente animoq;,
Atq; repente, uelut tellus subsideret ima
Cedebat retro,nec uis ultra ulla tulisset.
Atqui qua quisq; arte ualet,se exerceat illa,
Ingenue ut fatear studijs sum his admodum ineptus.
Quondam asinus catulum cauda blandirier,atq;
Vidit herum blande excipere illum subsilientem,
Ergo ego qui frugi sum inquit,despectus habebor,
Ille ob nequitias nihili caput,accipit escas
Cum domino ad mensam?exẽplo subductus Asellus
Cœpit delicias facere,oraq; biantia soluit
Cum pedibus salijtq; prioribus.hunc herus asper
Vt dirum atq; importunum uix uerbere abegit
Multo.dum ludit,cuncta interturbat Asellus.

AD ANTONIVM THYLESIVM DE MESSALA.

Nullus Tiresias scrobe defosso extulit umbram
Messalæ antiqui,mecum tamen illa locuta est,
Carmine diuino permulcens pectus.Amorem
Congressu haud alio Psychen aduisse putarim.
Res incredibilis magnoq; simillima monstro est

Vera tamen, posse e longinquis partibus Orbis
Inter, amicitiam mortales conciliari,
Qui nullo obtutu sese attigerint oculorum.
Vis auida est animæ diuini luminis, & quæ
Principium quærit, quo oculos se & dirigat ipsam,
Nempe suo simili, quo inuento læta quiescit,
Oceanum, licet exigua, ut quum gutta liquoris
Aethere descendens pluuio prona appetit altum,
Seq; illi insinuans partis diffundit in omnes.
Hinc uigor ille occultus & indeprensa potestas
Nobilis & uirtus, mox nodis uincta uoluptas
Irresolubilibus, speculo quæ se aspicit æquo,
Immensis radijs, redeant qui semper eodem.
Non ultra hoc speculum crinis sol explicat aureos.
Naturæ hic nodus, pulchrumq; & amabile textum.
Conciliant Musæ mare flammis, Aethera terris,
Saturnumq; atrum cœli felicibus astris.
Hæc illa est concors pulcherrimaq; harmoniarum.
Tum speculum est uir amicus, in illo se aspicit ergo,
Nectare & Ambrosia, & Veneris perfusus amore,
Diuinæ Veneris sancto perfusus amore.
Hæc binos animos unum connectit in orbem
Perfecto intorquens gyro, motuq; perenni,
Insignis animos uirtute, & Pallade dia.
Quid mirum, sapiens sapientis si intima cernit
Consilia, & ueluti præsentem si uidet absens?
Si se bruta animalia uocibus internoscunt

Longinquo e spatio, Veneris sub tempora certa.
Hæc Messala adeo diuino est ore locutus.
At mihi quod tribuit tantum, instrumentaq; tradit
Dædalia, ac tripodas Vulcani, artesq; Mineruæ,
In cœlum uereor ceratis ne auferar alis,
Aut asinus ferar ementita pelle leonis,
Id quod do uitio multis, transenna in eadem
Decipiar? feriamq; meo mihi pectora telo?
Nec consultori Milesia uerba loquenti
Deniq; erit melius, uersuta mente dolisq;
Qui cupidos animos oris dulcedine lactat.
Experiarne alto Thylesi impellere puppim,
Tantum de furno doctus cognoscere uentos?
Et uelut e solio uetulus canis efferar ira
Adlatrans, morsusq; acuens his fecibus urbis.
Multi adeo impuri exhibuere negotia tanta
Quanta olim Aeneæ obscænarum turba uolucrum,
Quos ego. sed præstat dimittere uindicibus dis.

AD MESSALAM.

An quia cantorum quoq; de grege glorior esse
Interdum? quibus ingenium cantare, ubi nolis.
An quia molimur uetitam transcendere metam?
Dum concessarum capiunt fastidia rerum.
An quia non semper respondet Phœbus Apollo?
Quanuis mirificis uotis persæpe uocatus.

An quia Mars tristi percussit sydere linguam?
Terribili sonitu simul occentauit Erinnys.
An dolor in causa ex animi penetralibus ipsis,
Dum scatet & sanguis, miseri deglubimur & dum.
Nunc extra tempus uelut alis capta cicada
Obtundo syluas nugis arbustaq; rumpo.
An tentabundus, tantum sedare dolorem
Si possim? possunt si quid prodesse Camœnæ.
At quum debuimus, uisu lupus ora repressit.
Sæpe equidem soleo secedere mentis in hortos
Florentes, hortos immensos, hic ego mecum.
Non pila fortunæ sumus omnes? uiribus illa
Pulsa uolat, magnis protelat nisibus alter,
Qui stetit aduersa frõte, haud minus impiger hostis.
Perpetua hæc animum differt sub pectore Enyo.
Forte quia expletur non Chænix? nec saturatur
Mens odijs? nunquam desit quod forcipe uerses.
Si Fors quid cessat, nobis mala cudimus ipsi.
Damnis damna serens, uulpes quondam ueteratrix
Decipula capitur, uulgari haud morte necare
Rusticus instituit naturæ carcinum & ulcus
Tetrum, connexis faculis per crura pedesq;
Perq; armos caudamq;. deinde & sulphure & igni
Succensis, toto crepuerunt corpore flammæ.
Ingenio prauo stimulos dolor addidit, ecce
Labitur e manibus puerorum, nota petitq;
Lustra, per insidias tenuit quæ sæpius ante.

Tempus erat meßis, geminis torrentibus agros,
Belua quum incendit uicina penatibus arua,
Quare inflammatis prope facta proteruia campis,
Arsit cunq; domo spes orna, omnisq; supellex.
Non simulata uelim dicat Thylesius, urbem
Qui nunc inuisit syla patriaq; relictis,
Hic licet insignis colat & ueneretur amicos,
Verum animi demat deliramenta supini
Omnia, seq; sibi reddat purumq; putumq;,
Quo splendore nitebat supra aurum atq; electrum,
Sic illi Aeacide, sic Protesilae uocatus
Adsis, Heroum narrans ingentia facta,
Quæ mox committat fidis celeberrima chartis,
Nunquid auet, fontes dulcis patriæq; recessus?
Quos crathis pater irriguis diffundit ab ulnis.
Castaneæ desiderio ne tenetur? amænos
Martyrianeos quæ hortos insignis opacat,
Nec Caij platanis nec Lotis inuidet umbram
Aut dulcis fructus, sedes gratißima nymphis.
Haud hilarant aliter palmæ paradison Idumes.
Quæ nitidis pratis proiectus carmina uates
Ille canebat, aues mulcens, Zephyrosq; procacis,
Crathin propter, aues gelidum Zephyrosq; sedentes.
Non melius forsan noster Spinellus in antris
Sirenum latitat? dum Musis & sibi cantans
Regum spernit opes & regna, iubetq; ualere.
At tu quid rerum? tua quæ sententia tandem?

Illa orbis ne tenet peragrandi cura Ciminum
Ferrarij an tetrum pepulerunt pharmaca uirus?
Perscribas etiam atq; etiam Messala rogarim.
Dulichium iubeo saluere Heroa Polyten.
Post Leuctræ pugnam ter nongentesimo & uno
Anno, uirginibus quum uis illata. ualete.

AD FRANCHINVM ET IARDINVM.

Exilio uelut e longo duroq; reuersi
In patriam, quam dira triplex agitauit Erinnys
Omnibus exemplis, quærunt referuntq; uicissim
Singula, quæ fuerint perpessi tempore sæuo,
Coniuncti olim dulci consuetudine amici,
Atq; suos operæ est pretium percurrere casus,
Et quo quisq; modo Fortunæ exiuerit unguis.
Dulce leuamen erit nobis Franchine malorum
Et Iardine loqui uobiscum, nostra tabella
Quod faciet, quando longa disiungimur ora.
Sed dum principium quæro, una atq; altera semper
Se noua res offert. an ne incipiemus ab ouo
Prolixo sermone & iniquo, scriptor ut olim
Thebani belli, defecit quem ante papyrus
Quam celsa adferret ductores mœnia Thebes,
Et nobis non sylua minor, uires modo subsint,
Magnarum se aperit rerum belliq; domiq;.

An confusa loquar? sacris miscere profana
Quando homines nullo delectu gnauiter audent.
Quid tantum fortuna potens commisimus in te
Mortales miseri, ut per nos tragica omnia uerses?
Ars tua fallendi, deterrima semper agendo
Quum consumata in nostro sit deniq; seclo,
Fraudibus exactis dea quae te uita manebit?
An quisquam fuerat me fortunatior usquam?
Nempe bonorum haudquaquam experti cui patria esset
Parthenope felix, ubi rerum copia maior
Quam desiderium, quas laetae pinguia terrae
Rura ferunt, & quas ditissimus Ennosigaeus,
Naturae gaudentis opus. mea commoda, honesta
Et studia, inuidiam fecissent regibus ipsis.
Hanc nobis patriam eripuerunt ciuibus hostes
Immanes, quibus haud quicquam sanctiq; piiq; est.
Nos miseri, insontes luimus periuria Regum.
Hanc patriae pestem rerum iactura secuta est.
Vt mores penitus perierunt, prorsus ita omnis
Claudicat urbs misera; & spes est accisa salutis.
Quae potis est satyra atq; tragoedia ferre malorum
Oceanum, tantas tempestatumq; procellas?
Quae capiti impendent iam iam suprema minantes.
Desino ego. at desunt uerba, exaequare loquendo
Quam nequeant ostenta, minas & fulmina diuum,
Iis quatimur bellis, ii sunt mortalibus hostes.
Quin dubio procul extitium, & mihi fata parassem.

Pluribus at coram ut spero, arbitrisq; remotis.
Secessum quæro, ac Scythicis uel montibus abdi.
Quæ uideo & patior, petimur quis pectora telis.
O utinam captusq; oculis & mente fuissem,
Fortunæ insidijs quando sum cætera nudus.

AD CORIOLANVM ET BERNARDINVM MARTYRANOS.

Coriolane, cupis nitidam si uiuere uitam
Dicereq; & facere eximia, & rumore secundo,
Perpetuam lateri lancem suspenderis æquam,
Indice uel lydo compones aurum orichalco.
Altam ego Parthenopes ciuis non ultimus urbem
Sæpe colo, spirans cœlo meq; euchit aura,
Pluraq; promittit ridenti spes bona uultu.
Cuncta ea si coti admoris, mox gaudia ruris
Vnde hæc scribebam sublimi uertice montis
Quo matutinus reptaram fraga legendo,
Compones, multo inferior næ urbana uoluptas
Ista erit, & Lais fucata coloribus ora.
Naturam uelit egregius si pingere Apelles
Implebit promissa color simplex, sine fuco.
Hic mihi uiuo equidem & Genio Musisq; benignis
Vrbanas mandens conceptas pectore curas.
Conuiuam accitum me ideo non uidit in hortis

Leucopetræ, nitidoq; in Apolline Bernardinus
Secli ornamentum, Charites quem nectare pascunt,
Ter quater es felix hoc tanto Castore Pollux.
Leucopetra ab Nymphe, Nymphe formosa, Veseuũ
Eructantem incendia amoris parcius ure.
Quis nam illos æquis celebrabit laudibus hortos?
Hic cœlum clemens & lætior Amphitrite
Omnia compellunt uultu ridere sereno.
Si mora promißis retinet prolixior Ocnum
Inter concentus auium syluasq; comantes
Non ideo nobis uos irascemini amici,
An me diffitear resupinum in floribus Ocnum?
Concoctis curis istic dum mensa paratur
Expectate, canis repetam iam prandia tandem
Lodicesq; istas Sebethi flumine quæ mox
Immundæ indigeant sub primi syderis ortum.
Ad mare descendam quum meßis inhorruit aruis.

AD MAIVM DE VITA RVSTICANA.

Vos nobiscum aliter sentitis, candida uestra
Est uita, atq; adeo felix est, rure beato
Viuitis agricolæ, naturæ certa propago.
Nos notha progenies, hæredes sortis iniquæ
Leuia corticibus, nucleis cariosa tenemus.
Attalus ingenium, & textorum exercuit artem

Dum nigra ceruleis miscet pingitq; tapetas,
Attalus undiflui Simoentis & arbiter Idæ.
Picta manu doctæ naturæ uos sola terræ
Incolitis, longe Attalici superantur honores,
Aurifluæq; Asiæ, e gremio ut descenderit imber
Iunonis, superantur opes. tum commoda uestra
Felix cui licuit comperta tenere fruiq;.
Dilucent uobis Soles & tempora, faustis
Syderibus rerum dulcis uenit annua cura.
Qui sapit & libra uitam perpenderit omnem
Hibernæ trullæ & cippis genialibus an præ
Ponat opes Caij & conuiuia lauta Neronis?
Ceruici quibus appensus grauis imminet ensis,
Casurus tandem. quæ homines amentia tanta?
Mortales homines, discrimina cernimus, ultro &
Tendimus, ætnæi Cyclopis, nomine digni
Quo sunt decepti uastissima corpora fratres,
Quum pelagus uenit siculum errabundus Vlysses.
Si semel occidimus, non nobis post oritur Sol.
Vita uos digni exercentes munera uitæ,
Quicquid plantatis uita est, seritisue coloni.
At contra ambitio, regnandi insana Cupido,
Spes lucri indefessa, doli, implacata simultas,
Vrbis & insanæ sunt artes symbola mortis,
Mitibus in syluis peccandi copia non est.
Si qua tamen ueniunt, sunt iurgia quæ tribus horis
Detumeant, tepidos Zephyris pellentibus Austros.

Res est. si fata bos tondet? si dente capella
Perstringit uitem, si sus rimatur agellum,
Componunt ære hæc paruo, uel mutua opella.
Non sic regum iræ, populorum incendia. reges
Non secus ac pueri rixantur, & arma capessunt,
Insons indignas populus dat sanguine pœnas.
At tandem tandem, deus inuenit usq; nocentes.
Istis non Maij inuideo nec regna nec aurum,
Et tunc præcipue quum ruri fallimus æuum.
Hæc perscribebam Coryli sub tegmine opacæ,
Casta mihi Domicilla daret dum suauia uirgo
Leniretq; iras perfundens pectus amore.
Multam pulchra tibi dicit mea Nympha salutem.

AD HORATIVM ANYSIVM.

Quod supra ætatem puer admiraris Horati,
Cur frater Cosmus uir forti pectore, tandem
Tabuerit, nato erepto puerilibus annis,
Et præter fatum Parcarum pensa citarit?
Exemplo ut careat, tantum potuisse dolorem.
Non tibi quærenti rationem ferre grauabor.
Non hic ab Locris tabulas & marmora duxit.
Non hic deiecit letali uulnere matrem
Impius, Eumenidumq; adyt armatus eodem
Sanguineo ense, illa & pollutus cede, sacellum.

Qui uir, dij superi, nequijt par esse dolori.
Candidæ an ne manus mala, nigras obtulit offas?
Quæ misero fratri luxerunt lumine tedæ.
Dij magni exitia hæc hominũ atq; has perdite pestes.
Sed redeo, dolor auertit de limite mentem.
Quanq̃ nonnulli contendunt dicere, nostrum
Perturbari animum esse nefas, uel uulnere quouis,
Vel quouis cruciatu, intestinoq; dolore.
Sunt fortes uoces, sed res est ardua, ut ipsi
Progenies Iouis heroes exempla dedere,
Infractis animis mittentes uoce querelas.
Sanguine contactus hydræ, quis questibus auras
Amphitryoniades inuicto pectore, tandem
Impleuit? resonatq; etiam clamoribus Oeta.
Nescio quæ tanta hæc regnat sub pectore Erinnys,
Arbitrio imperitans, rationem sub iuga mittens,
Nec cuiq̃ contra obniti datur ulla potestas.
Quin generosa magis consternat pectora morbus.
Mortales miseros præduris legibus ortos.
Deijciunt celsas casu grauiore cupressos
Flamina uentorum, quercusq; in montibus altas.
Sæpe humili est melius, cauros contemnit arundo,
Contemnunt lentæ salices, humilesq; genistæ.
Quid uoueat dijs pro nato nutrixq; parensq;?
Ingenium, mentem, doctrinam consiliumq;
Et bona Naturæ sublimis deniq; matris.
Egregiæ unde artes & opes & culmina rerum.

At comes est cura assidua insaniq; dolores
Et morbi haud dum percepti, & pharmaca sera
Idq; genus mortes portentaq; tristia uitæ.
Cum dijs orato, & diras puer antecaueto,
Dũ mens sana, alia haud facile medicina reperta est,
Non si gleba quidem foueat te lemnia totum.
Non facile est reperire Melampoda, quo duce natis
Prætus Abantiades hoc tantum dispulit æstrum
Turbinis in morem quod præcipitisq; procellæ
Conuellit mentemq; animumq; a sedibus imis.
Africa quot monstris & abundat terra uenenis
Colchica, letiferis tot nostrum pestibus ardet
Pectus quotidie & sexcentis uritur Oetis.
Sebetho uoueas crinem pulchræq; Labullæ,
Qui canos donent animoq; & corpore sano.

IANI ANYSII SATYRARVM LIBER SEXTVS.

AD POMPEIVM COLVMNAM CARDINALEM.

Vsimus ipsi etiam fidibus cum uere nitenti
Aetatis, gaudet lætis formosa iuuenta.
Sæpe aliquo coram Terpandro contigit ipsis
Cernere de Musis, facere atq; insigne periclum,

Quis timor æterni diui per membra manusq;
Ne doctas adeo quid inepti uellicet aures.
Iudicium speculi, mangonizante Cynisca,
Comendo crini, cilio uellendo, oculisq;
Atq; genis depingendis Campana Beatrix
Iam modo non rupit, satias nec dum ulla reperta est.
Persequar & studio ne deniq; singula, quis non
Corporis, atq; sui uehementi insanit amore?
Quali pulcher Hylas, aut qui se aspexit in undis
Tabescens, pratisq; nitet sua imagine captus.
Et formidatur Terpandro iudice tantum,
Ne uox, neue manus tantillum cespitet, atqui
Si fugit id uulgus, tamen est mens conscia ueri.
Quid causæ est Pompei? num ꝙ præponderet ipsi
Corpus brutum animæ, cui sit cœlestis origo?
Quod scelus hoc tantũ, quæ inscitia, quis foret error?
Posterior cur ergo animi sic cultus habetur?
Noscere perpulchrum est, qui Reges, quiue Tyrãni
Pectore decernunt nostro discordibus armis.
Hic opus ingenij totos intendere neruos,
Scilicet in cuius iures pedes aut eques acer
Verba ducis, sero ne facti pœniteat post,
Alea nanq; semel iacta haud potis est reuocari.
Sed mirum ꝗ̃ dissimiles sunt copiæ, & inter
Se pugnant æquo, tam longo tempore, Marte.
Exiguus numerus uirtutis castra sequuntur
Magnanimi egregijq; uiri, inq; dies minor: atqui

Partibus aduersis complentur & æquora & agri
Potaq; siccantur præruptis flumina ripis.
Nam quis tam præstans, nota quem non usserit ulla?
Vel leue peccatum rationis tessera non fert.
Degenerat sed enim retroq; relabitur æuum,
Decrescit uirtus, uitium se tollit in auras
Vitis ut irrigui propter sata fluminis alueum.
Manius amisit nomen, cui Nyctilus hæres
Successit, tristi terrasq; tyrannide calcat,
Tanta latus stipat proles, agmenq; nepotum.
In qua tu censes acie? qui milibus emit
Centenis instar dissecti Adamanta Lupini.
Quis pretia bis posuit tam portentosa lapillis?
Nulla unde utilitas, nec sane est magna uoluptas.
Non ampulla uitri nitidi quum plena liquoris
Præstat idem? uariare licetq; & pascere ocellos
Iactura minima, nempe ut liquor imbuit illam.
Quid dicam? magnis qui dotibus ulcera nuptum
Dat sua, seu uomicas, defraudans seq; suosq;
Non secus ac medijs nauem si fregerit undis,
Vt Lupæ abundent diuitijs & luxibus istis,
Qua tandem inuidia tacta est laudata uetustas?
Quo liuore malo? quo obtutu pernicioso?
Sic priscos mores stomachabimur? atq; receptos
Olim iam patribus? laus est quibus undiq; plena.
Nundinæ erant illæ insignes, quis uendere Nymphas
Atq; emere, præco sublimi uoce ferebat

Lege licere, palam inuitans uxoris egenos.
Formosæ pretium fœdas cum dote locabat,
Iam factis sacris, signis positisq; pudori.
Sanctum hostimentum nullis quod laudibus æques.
O mihi paulisper terrarum sceptra darentur,
Hæc & plura alia speciosa reuiseret orbis,
Nulla superstitio esset, sed sancta omnia templis.
Non mendicorum uaga turba occurreret ista,
Quæ tristi aspectu uel puram polluat æthram.
Pestilitas populis non hæc incumberet atra
Infandumq; malum, si alerent has oppida labes
Quæq; suas, pœnis aut multarentur amaris,
Si paterentur aberrare & sic esse molestos.
Certa libens refero, solitos diffringere crura
Sæpe patres natis, in fascibus, ut miseri arte
Hac uiuant, hac sustentent prolemq; laremq;.
Non hæc prudenti fuerunt comperta Lycurgo,
Nec fando audita. ipse oculis uidi, auribus hausi.
Altero at ambitio curat fœdissima cornu,
Dum sua fastidit, petit inconstans aliena,
Ingrata, atq; sibi quæ nil non arroget. ut me
Enecat ipse etiam Cicero Varroq; *latini*
Ordinis eximij ductores, se modo Græcis
Dum longe anteferant, & uera negant & honesta.
Romulus ac patres tam menses ordine pulchro
Appellauerunt, duo progenitoribus ut dijs
Primi essent, siquidem Marti Veneriq; *dicati,*

Tantum relligio pollebat eratq; in honore.
At reliqui duo consiliis & fortibus armis,
Firma diu ac felix respublica quis stabilitur,
Nempe senes illis, ualet his delecta iuuentus.
Cur Varro Aprilem Romano ut nomine donet
Impius a diuum solio deturbat auito,
Ingratusq; patrum detorquet dicta maligne?
Idq; genus luxata uocabula qui pote ferri,
Dum dedignantur merito incunabula honore,
Ac si quis peregre nullis maioribus ortus,
Sed belli atq; domi clarus, sit laude minori.
Non unde es quærit, sed quis cognoscere censor.
Illius an grauius peccatum? extenderet æuum
Qui in longum famam, combussit nobile templum,
Quod uires Asiæ multosq; exhauserat annos.
Res est pulchra quidem fasces ostendere patrum
Postibus affixos, & adorea clara triumphis
Si posita in fastis, plebi interdixit opella,
Verum pulchrior, aduersum si multa cicatrix
Pectus habet, si seruasti ciues, & ab hoste
Deniq; si patriam, spreto rumore sinistro,
Consulitur solidæ sic famæ & gloriæ honestæ.

AD BERNARDVM SANCTIVM.

Næ sum factus ego inter syluas calculus imus

Qui modo eram dominæ Fortunæ ſummus in Albo.
Pompey comites generoſi, & candide Sancti
Non ab re fuerit quæ olim Syluanus amice
Atq; Voconius intorſerunt uerba uiciſsim
Otia ſi ſuperant, memori mandare papyro.
Multa equidem ſcite dicta in ſententiam utranq;
Accepi Cedro & redolenti digna cupreſſo,
Sed pauca hæc legi, nos defendentia, quando
Sæpe iuuat dulcis colere agros urbe relicta.
Scribebam, ſereret ſulcis quum lina Colonus,
Aequaretq; ſolum, detrudens gramina raſtris,
Et Domicilla parat nobis dum prandia, amata,
Quæ Oceani referant menſam & conuiuia diuum.
Syluanus, uitam egregie qui uixerit inter
Nempe Heroinas, laudabat tecta ſuperba
Aulæis redimita & centum fulta columnis,
Adducebat enim ſtellata palatia cœli
Exemplo, Regesq; uicem gerere uſq; deorum,
Dijq; ut ad Aethiopas conuiuia lauta frequentent.
Illa Voconius excepit placide, oreq; pleno
Subridens infit, uenia tamen ante, petita,
Quot Syluane Ioues uiſuntur in ædibus iſtis
Magnificis? niſi forte uelis qui cornua ſumat
Aut plumas, Aſiæ pulchros rapturus honores.
Si qua tamen terris ſeruat ueſtigia uirtus
Illa caſis ſyluisq; nitent & rure beato,
Vir bonus agricola eſt, diues ſuccoq; ſuopte

Lætus emens sudore suo sibi dulcia uitæ,
Et quia eget minimo, certe quam proximus est dijs.
Non temere est diuos syluas coluisse nitentis,
Pauisse armenta, atq; feras petysse sagittis.
Inseruire gulæq; & uentri atq; otio inerti,
Est porcos Circes imitari, animamq; misellam
Longinquo exilio damnare, & carcere tetro.
Non equidem inuideo uobis uenerande Voconi
Istam doctrinam Chrysippo & Socrate dignam,
Ni magis ille placet qui carnes mandere crudas
Cœpit, naturam nihil ut peruerteret arte,
Lautitiæ forsan plus æquo irrisor & hostis.
Ingenium est homini concessum scilicet usu
Qui peteret quæcunq; parens natura creauit.
Sint uobis odio liceat mensæq; dapesq;,
Deliciæ, unguenta Assyria, ut res perniciosæ,
Hos luxus, animæ exitium, uitæq; uenenum
Liquistis nobis, accepimus, atq; fruemur,
Quandoquidem ut fertis, fatis urgemur iniquis.
Porros cepasq; & concedimus allia uobis
Quot Cumæ mittunt Lacedæmoniumq; Tarentum,
Centonesq; humero, & Perones calcibus hirtos
Ex suibusq; paratos Cyniphijsq; capellis.
Et calice abiecto Sebethi flumina palmis
Haurire, & uesca uesci si dijs placet, herba.
Et genere ex hoc, nil obstat, concedimus omnia.
Vis missa hæc faciamus, ab hisce & nomen abhorret

Hercle tuum, etsi aliter uerbis sentire uideris,
Ni in lente unguentum, uel baris opobalsama poscis.
Quos ferat ambitio fructus Syluane uidendum est,
Quis damnata malis, quantis exposta periclis.
Sint regna, ignotis opibusq; incumbere & auro.
Si quæris mea tum demum sententia quæ sit,
Esse puto, aure tenere lupum, excantare draconem
Peruigilem, Phorci sæuam oppugnare Medusam.
Damoclis exemplum tenues diffugit in auras?
Quiq; per erumnas uitam traxere Tyranni?
Quiq; sub horribili dant perpetuas Styge pœnas?
Omnibus est adeo peccandi larga facultas,
Ad scelera atq; aditus patet, ãpla & apta fenestra est
Ieiunis æque ac saturis præclare Vocont,
Inuasitq; tuos morborum exercitus agros,
Nequities, fraus, ira, furor, suadela, Venusq;.
At si quisq; sua præscripta sede maneret
Contentusq; suo fucco, patrioq; salino,
Otia abundarent certe, nec bella timerent
Pallentes matres, uerum ignoraret Abella
Vndifluum Sarnum, & ructantem saxa Veseuum,
Nec diuos, Arabum placarent tura Sabellos,
Idem esset tenor omnibus, & mos gentibus unus,
Sorderent artes, torperent pectora miris
Præclara inuentis, scrutari audentia diuum
Consilia, atq; ipsum terris recludere cœlum.
Discessum est tandem, utriq; applaudente popello.

AD LIBRVM.

Iam liber immensum tibi cursum fata pararunt
Ex longa statione, latus cui utrunq; refecit
Ancæus, sic materiem præbente Minerua,
Auspicibus dijs ut soluas audacter, & æquor
Peruolites. tantum scopulos fuge cautior altos,
Nempe petiturus Sirtis breuia, atq; sequacis
Tot fluctus, Scyllæq; canes, faucesq; Charybdis
Et Maleæ infames scopulos, pontumq; rigentem.
Parcite Presteres, Libs nubilus, Edois aura,
Neptuniq; pecus latrantia parcite monstra.
Quod lupus ad dextram pleno fuit obuius ore,
Martius ille lupus Romani nominis autor,
Ne tu sperne omen, non hæc sine numine diuum
Crediderim signa esse, potentum numine diuum
Qui tibi promittunt reditum certamq; salutem
Herculea audenti præter Gadira uolare,
Tethyos Vranidos fauces, diuortia terræ,
Permenso oceano, fixis nouo in orbe columnis.
Sed mitto nugari. ut posteritas sciat, in quo
Viuere se nostrum totos exercuit annos,
Visum operæpretiũ nostra hæc ut charta loquatur.
Principio ex ineunte puertia, amicus adiui
Ad doctas musas, quæ me accepere benigne,
Sunt testes Luci & Parnasi limina sacri.
Quotidie ex illo, feci his, redolentibus aris,

Subſcripſiq; libro conceptas pectore diuas.
Tota fere hoc ludo ſe uita exercuit, haud lux
Lineola abſq; fuit, Genio perſæpe querente
Fraudari lætis opibus, florente iuuenta,
Non Ioue læuo. æſtro tanto me impleuit Apollo.
Maiora aggreſſus, fateor, ſum uiribus, idq;
Succubui interdum, fateor: ſed laude uoluntas
Num fraudanda ſua icirco eſt? non hercule, liuor
Si ſinat, aut paulum ſi uirus comprimat atrum.
Mane illud nitidum excepit niger Heſperus, & ſunt
Omnia uerſa in amaram triſtitiem, & graue letum,
Omnibus ex Erebo furijs uexantibus orbem
Terrarum, atq; adeo ſuperis quæ dira minentur.
Hinc rerum iactura, hinc nobis uita miſella
Iam iam caſuris carioſo ſtamine pendet.
Olim erat in uotis ſeceſſum quærere amœnum
Nulla ubi ſæua animum turbaret peſtis, auaras
Ponderibusq; ſuis nutantes, triſte minantes,
Quæ perdunt urbes luſus, laſciuia, faſtus,
Vt tenui cribro diſcuſſo furfure, purum
Far legerem, æternis eſſent quæ liba Camœnis,
Nobilibus gratum eſt menſis de polline cruſtum.
Sed quia non licuit per Erinnyes & fera bella,
Perq; abiuratos errones, qui neq; ſyluis,
Nec Domicilla manus a te abſtinuere rapaces,
Tartaro ab horribili fuit illa licentia, nam non
Crediderim Martis tantum potuiſſe furorem,

Obrigui. mentem ambiguam in diuersa ferebant
Consilio excusso, curarum, gurgite in alto
Spumantes fluctus spem inter gelidumq; timorem.
In trutina saepe expendi, nunquid magis e re
Nostra esset, aliud differre in tempus, & extra
Aleam, ab ancipiti hanc ponto subducere puppim?
Praecipiti an cursu, irato committere Nereo?
Hic formidandum, properando naufragium ne
In portu faciat rudis imperfectaq;, flammis
Vittatos nitidis illustratura penates,
Atq; hyeme in gelida uernas fotura rigentes.
Turba ingens iacet obscura hac in classe sepulta.
Defuit ingenium? minime. sed cura laborq;,
Aut miseros uitium transuersos egit auarum,
Aut morbus leuium immedicabilis auricularum,
Quare pro patriae ceciderunt limine proni,
Dum nimis accelerant testes, uixisse, citare.
Est metus illic. desideat ne inglorius, torpor
Et situs, & caries ne corrumpat, sine laudis
Optato fructu, dum sic Naualia seruat
Deses, diffidens, Neptuni sceptra, phalangas
Tritonum expectans. fallit mors saepe, iacentq;
Hac spe decepta, ingenia praeclara uirorum,
Et sunt tot uigiles noctes, curaeq; Promethei
In tristis tenebras Lethes, atq; obrutae in Orcum,
Dumq; premunt, dumq; emendant sine fine labores.
Non semper, faciebam, inquit praeclarus Apelles,

Tollebatq; manum e tabula tum sæpe libenter.
Quod nimis est damnatur, finẽ quærere pulchrũ est.
Ah quanto melius tecum Syncere fuisset
Actum, si in lucem tua uiuens scripta dedisses,
Concedis fato grauis annis, ceu puer, infans,
Et suppressa iacent lepidi permulta poetæ.
Heu periit Cotta, ille Camœnis magnus amicus.
Asscribitq; sibi diuina poemata, fronte
Perfricta cornix, nec sperat reddere pennas,
Nec raptam nigro dimittere fornice Hyellam.
Vitaq; Pontanum fatis promissa fefellit,
Captusq; est uanis silicernius Aelius astris,
Altiliusq;, suos numerant dum fortiter annos.
Absumunt blattæ Tristani scripta probata.
Et mihi quum ætas sit grauior, discrimine eodem
Differrem partus tenebris educere tetris,
Sementemq; nouam facere & proscindere terram,
Nam bis lustrũ agitur sextum, estq; extorta uoluptas
Illa omnis, lusus, risus & gaudia uitæ,
Autunno exacto nobis quæ frigida passim
Vincit hyems. dotem poscit iam septima neptis,
Tam numerosa mihi proles ex fratribus orta est
Hoc rerum luxu, prauis his moribus urbis,
Nil etenim est satis, ad summum euasere cruentæ
Dotes, interium sugens ut sanguinem hirudo.
Vt luxus alios compone has maxime Cæsar,
Si non templa patent Veneris sanctissima, nobis.

Estq; malis medicina minor, tamen ipse remotum
Secessum quæro, atq; humeris seponere fascem
Curasq; expuere & concretum pectore uirus.
Nil est quod timeam prædones littore solo
Linterni, aut syluis desertis tela latronum,
Si non maiestas, certe integritas mihi uitæ
Obtulit hærenti Domicillæ amplexibus illos
Innocuis armis, uenerabundos & amicos,
Non mea nympha metum ponit dum pallida uultu.
Dij date secessum, & quæ non indebita posco,
Si forte in Boream ardeolæ tenuere uolatum.
Laurinas mihi prædiolum ipse libentius optem,
Hic Helicon nobis dulcis Domicilla Camœna est,
Nam nobis nimium dilecti longius absunt
Nicoleos Pataræus piniferæq; Tabernæ,
Vnda ubi purpurea, rigat arua œnotria Cbratis,
Vnde mihi census & uitæ alimenta parantur,
Si nobis non Creta patet mitissima tellus,
Aut alibi ut tristis possim deponere curas.
Quæ uia nunc obstrusa olim fortasse patebit
Auspicijs Oriæ & regnatoris Olympi.
Otia in urbe negant cognati, proximi, amici
Ecce mihi assidui noctesq; diesq;, ne hirudo
Hæc auide sitit internum exhauritq; cruorem.
Hic uocat auxilio supplex, damnatus inique,
Aut morbo implicitus, meditans fortasse suprema,
Sæpe & funeribus comitem cum syrmate pullo.

Ille uocat natæ ad sponsalia. deniq; nostra
Parthenope ad luxus & mollia ad otia nata est.
Sexcenti laquei doctis tenduntur in urbe
Qui studium impediāt Musarum & Apollinis artes.
O liceat quæ animo concepi lege seueri
Empedoclis, rerum o detur recludere causas,
Ne tota in nebulis pulcherrima uita teratur,
Subscribat uotis facilis fortuna deusq;,
Producatq; annos, adsitq; saluber Apollo.
Tollere me est animus tandem uires modo subsint,
Cycnus uti rapitur geminis trepidantibus alis
Aetheris inq; oras inq; omnipatentis olympi.
Quid, quando iussit censor mihi nobilis heros
Pompeius, tantum quem commendauit Apollo
Ac sua res agitur, cuius sum castra secutus,
Communis nostrum nam gloria tangit utrunq;,
Num conturbabo? quin stat parere, Camœnæ,
Si mihi pro Typhi est Argo in mare deducenda,
Quo duce ī Oceanū haud metuā dare carbasa uētis,
Et Iouis impediant cursum licet omnia tela
Tot me ille officijs, tanto deuinxit amore,
Ignoscas liuor, uos tristes parcite linguæ.
Quin tibi consilium capis, & profers tua in æthram
Pompei nitidam, Phœbus quando illa probauit.
Iam quas decreram madidas expandere plumas
Ad solis radios, rapiuntur in æquor apertum
Oceani. cursu o medio ne uoluar in undis,

Differar & canibus fluitantia membra marinis.
Ne Iouis ira adeo in uatis pia pectora saeui,
Quin potius tristes tristi pete fulmine linguas,
Sulphureoq; Phlegrae ure igni Titania membra,
Naturae exitium rebusq; minantia fatum.
Este aequi, prima legitis, qui fronte, recessu
In longo, abdita sunt ubi rerum; forte placebunt,
Omnia quis docte & sapienter dicere possit?
Maxime ubi intentat tempestas horrida mortem.
At spes est aequos censores defore nullo
Tempore, quandoquidē Germania & extima Thyle
Hispanaeq; urbes, referunt quod Roma & Athenae
Insignes olim, auersa & nisi nomina Musis
Obstarent, multos possem memorare disertos
Praestantesq; uiros, infelix Graecia, prorsus
Amisti decus, osq; repressit sydus iniquum.
Incidit aetatem in nostram atrocissima pestis.
Nescio quid grauius nobis fortuna minatur,
Num lucet lucem extremam extinguenda lucerna?
Num fex oblatrans occasus nuntia rerum est?
Haec quum scribebam, quae, fulmina, dira minari
In nos pergebant Petri mersura phaselum,
Illa iacet uentis toties iactata, uidetis
Armamenta mari, malos tonsasq; natantis.
Dij probibete minas, haec hostibus omina sunto,
Tu uigila pater atq; occurre his maxime Clemens,
Insta, impelle, urge Regumq; incide ueternum,

Commoto s placa, languentes excita ad arma,
In fide acerbatos populos, spe & contine amore,
Nam conclamatum de libertate fuisset,
Ac de doctarum sublimi monte sororum,
Seraq; Virgilium, & sequerētur funera Homerum,
Et prorsus Thebæ cecidissent, Pergamaq; alta.
Non taurus capræ primas concederet aris,
Nec celebraretur proles dilecta Tonanti.
Tangeret Heroas quæ tandem gloria? monstra
Vincere, & armatos belli perferre labores,
Si nulli uates, si carmina nulla manerent?
Morte uehunt uicta, quæ fortia facta in Olympum.
Dij prohibete nefas, uates sacrastis, & ipsos
Aeuum uobiscum uoluistis uiuere longum.
Vna eadem absument cum rebus fata poetas.

ERRORES IN SATYRIS.

Quæ, nescio quo casu aut impressorũ stupore & negligentia inter imprimendum aliquot tantũ chartis peccata inciderunt, adnotauimus, ut illi emendent quibus illæ chartæ obuenerint, cum in aliis paulo sint post nobis animaduertentibus emendata. Draconis illius uigilis, opus est oculis hisce in typis.

Fol. 10. *uersu* 21. *in tergo. Et poteras Abdera hominem.*

Fol. 28. *uer.* 22. *in fronte. Num nobis Decij*

Fol. 29. *uer.* 18. *in tergo. Admirabundus.*

Fol. 31. *uer.* 2. *in fronte. falso. abundat.*

Fol. 41. *uer.* 5. *in fronte. Quam uoueat*

Fol. 44. *uer.* 3. *in tergo. conuincit.*

Fol. 55. *uer.* 24. *in fronte. furialiaq; ora.*

Fol. 59. *uer.* 23. *in fronte. Satyra Ad Iulium Pont. Max. referatur in secundum librum, ut sit prima in ordine.*

Fol. 79. *uer.* 6. *in tergo. Aut Phlegram.*

Fol. 88. *uer.* 24. *in tergo. Demostene.*

AD LECTORES.

Nulla satis digna gratia referri potest Ioui opt. max. qui me seruauit, ut ex liturato ac dubio exemplari aliquot in Poematis meis iampridē editis, descriptos errores emendarem, & ea quæ uiderentur duriuscula, aut aliquam datura ansam obtrectatoribus, licet Poetis ex Musicæ artis penetralibus non inconcessa, emollirem ac retractarem. Valeant isti puicaces, nimij sui amatores, hostes acerrimi ueritatis. Nos non pudeat nostra sexcenties castigare, musisq; & doctis concinere. Quin & si tales unquā incidant censores, illis libenter hāc ueniā damus, uel usq; a sedibus mortuorū, gratias habituri. Vos lectores quæso parcite, si priori molestiæ etiam hanc addimus prolixiorem, immo per Musas uirtutesq; oro & obtestor ne deterreamini, non iam Herculeus est labor. O si aliquando detur, sine cicatricibus iterum illa excudere & locis quæq; suis restituere. Id mihi si non dabitur, aliquis inuidiæ expers efficito ut saltem legantur expeditiora, pauci enim neui ut undiq; absolutum sæpe corpus ornant, ita multi oborti persæpe dehonestant. Sed docta manus nitidusq; animus adsit, facilis profecto est reditus ad pristinam commendationem. Valete.

Quæ rursus denuo occurrerunt in Poematis sic tu repone lector candidissime.

Fol. 3. *uer.* 15. *in fron.* Epitaphium. t *tenui, cum, & alibi persæpe per incuriam aspiretur.*

Fol. 7. *uer.* 9. *in fr.* Vix *pretio impertis precibusq; immitis amores.*

Fol. 8. *uer.* 21. *in fron.* Parca, Venus, Virtus *hæc tria dona ferunt.*

Fol. 10. *uer.* 22. *in fron.* *Melisei funera quæ sit*

Fol. 10. *uer.* 7. *in tergo.* Cerula Tethys. *sine diphthongo. Sic sæpe alibi corrupte scribitur. Idem de cera, & hymeneo & plerisq; alys sit dictum.*

Fol. 13. *uer.* 10. *in fronte.* Cymothoeaq;. *Ibidem* Proteu.

Fol. 17. *uer.* 6. *in fronte.* Exul *ad* Parthos *Arabasq; &* Indos.

Fol. 25. *uer.* 14. *in fronte.* *Sub flore & mala delitescit aspis.*

Fol. 46. *uer.* 8. *in terg.* *Fluctibus immēso & spatio*

Fol. 47. *uer.* 3. *in terg.* *perpetuo & malo.*

Fol. 54. *uer.* 12. *in tergo.* *Et nunc* Mæonio.

Fol. 57. *uer.* 7. *in terg.* *ruat & niger.*

Fol. *eodem, uer.* 13. *in terg.* *fata & temnere tristia.*

Fol. 56. *uer.* 14. *in fron.* *at nec* Atlas *arduus aut* Nigris.

Ibidem, uer. 21. Candace.

Fol. 60. uer. 9. in fronte. Sigaritæ.
Fol. 62. uer. 21. in tergo. cana & lilia
Fol. 67. uer. 19. in fronte. deest hic integer uersus.
Victor malorum, itemq; noster sit stilus Nodosa claua. &c.
Fol. 71. uer. 10. in fron. gramina & sucis replet.
Fol. 78. uer. ult. in fron. supra & laudes.
Fol. 82. uer. 6. in fron. fortis & tibi te uindica.
Fol. 83. uer. 27. in tergo. Amycum.
Fol. 86. uer. 3. in terg. ualida & iuuentus.
Fol. 88. uer. 26. in fron. Erymanthi.
Fol. 90. uer. 4. in tergo. Libyes
Fol. 91. uer. 9. in fron. Egressi auratis.
Fol. 98. uer. 4. in fron. sub Temesæ rubis.
Ibidem uer. 20. & 21. Cbratis. in tergo. uer. 14.
Sperne & minas.
Fol. 99. uer. 20. in fronte. Spicula & misit.
Fol. 102. uer. 9. in terg. Aeetes.
Fol. 104. uer. 3. in fron. Es mitis, madidus. Siccus, amarus atrox.
Fol. 115. uer. 9. in tergo. imperio & recepto.
Fol. 120. uer. 26. in tergo. nitida & Maricæ
Fol. 121. uer. 23. in tergo. ante & pœnitet actæ.
Fol. 124. uer. 17. in fronte. Tantas dolorum & posse sarcinas ferri.
Fol. 135. uer. 18. in tergo. mẽtis & morbo graui.
Fol. 137. uer. 5. in tergo. magna & nomina.

Fol. 138. uer. 3. in tergo. tota &.
Item uer. 26. Thamyrin.
Fol. 147. uer. 4. in fronte. Sic subscripsimus aureo libello.
Fol. 150. uer. 14. in tergo. Dolere *nil, rigidi animi est. mollis, nimis.*
Fol. 155. uer. 13. in fron. Inopi *& probo uiro.*
Ibidem uer. 21. ne sis moræ.

Puncta atq; alia ad orthographiam pertinentia, ne plus æquo simus prolixi, candido lectori reliquimus castiganda. Licentias *tantum concessas ueluti lumina orationis quæso condonet, nonnullaq; alia quæ ueluti durißimis legibus derogantes libēter usurpauimus, ut in retulere prima syllaba correpta & id genus alijs. Sed hactenus. ne dum aliorū culpam in* Poematis *deprecamur, nostras rationes conturbemus, ultroq; nos ipsos reos peragamus.*

NEAPOLI EX OFFICINA IO
ANNIS SVLSBACCHII HA
GENOVENSIS GERMANI,
MENSE AVGVSTO.
ANNO M. D. XXXII.
REGNANTE INVICTISSIMO
CAESARE CAROLO
EIVS NOMINIS
QVINTO.



